DISPVTATIO THE

EXHIBENS VIN

POTIORVM CHRISTI T

QVIBVS

SVPERIORITATE

AFFIRMARE V

CONTRA

NEO ARRIANOS ET IMPRIMIS

QVAM

SVB AVSPICIIS DIVIN

PRAESI

VIRO SVMME REVERENDO

ET DOCTISSI

SIGISMVNDO IACOBO

S. S. THEOL. DOCTORE

PVBLICO ORDI

PATRONO ET PRAECEPTORE P

AD CINERES DEVE

IN REGIA FRID

AD DIEM IX. MAII

H. L. C.

IVSSV SVPERIORVM ABITVRVS

AVCTOR

IOANNES GEBHA

MAGDEBVRGE

HALAE MAGDEB

TYPIS IO. HENRICI GRVNERT

5

O THEOLOGICA

S VINDICIAS

STI TESTIMONIORVM

VIBVS

ATEM PATRIS

RE VIDETVR

ONTRA

PRIMIS THOMAM CHVBBIVM.

QVAM

S DIVINI NVMINIS

AESIDE

RENDO EXCELLENTISSIMO

OCTISSIMO

COBO BAVMGARTEN

TORE ET PROFESSORE

O ORDINARIO

TORE PIO AMORIS ADFECTV

S DEVENERANDO

FRIDERICIANA

. MAII CIↃIↃCCXXXXI.

L. C. Q.

BITVRVS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

BHARDVS PFEIL

EBVRGENSIS.

5.

AGDEBVRGICAE

VNERTI ACAD. TYPOGR.

(6½)

VIRO

REVERENDISSIMO EXCELLENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI ADAMO
STEINMETZ

MONASTERII BERGENSIS PRAESVLI
SVMME VENERABILI
DVCATVS MAGDEBVRGICI SVPERINTENDENTI
GENERALI FIDELISSIMO
NEC NON
SENATVS REGII SANCTIORIS ADSESSORI
GRAVISSIMO

FAVTORI AC MAECENATI SVO

AETERNO HONORIS AC PIETATIS CVLTV

DEVENERANDO

HAS LABORIS ACADEMICI PRIMITIAS

GLORIAE IESV CHRISTI DIVINAE

DEDICATAS

IN TESSERAM

ANIMI, SVAVISSIMA TOT TANTORVMQVE

BENEFICIORVM,

PER V. ANNOS COLLATORVM RECORDATIONE

IMPENSE TACTI

AC MONVMENTVM

PIETATIS, AMORIS, VENERATIONIS

AC GRATIARVM IMMORTALIVM,

CVM ARDENTISSIMA

SALVTIS AC PROSPERITATIS OMNIGENAE

ET SEMPITERNAE APPRECATIONE

RERVMQVE SVARVM COMMENDATIONE

SACRAS ESSE VOLVIT,

E PATRIA DISCESSVRVS

AVCTOR.

Q. D. B. V.

§. I.

Aeterna ac independens IESV CHRISTI diuinitas, Hiſtorica de
arx et caſtellum chriſtianae religionis, acerbiſſi- *Arrianis* rela-
mos hoſtium impetus a primis ſtatim ciuitatis tio.
CHRISTI incunabulis (a) ſuſtinuit. Vix autem grauiores ipſi fuere quiquam, quam qui duce ARRIO poſt impetratam externam tranquillitatem (b) eam adorti erroribus ſuis omnem ferme terrarum orbem, qua chriſtianus erat, inquinarunt, eosque licet damnatos per prin-

(a) *Cerinthiani* enim cum ſic dictis *Ebionitis* teſte IRENAEO *libr.* 3. C. I, 2. et EPIPHANIO *haereſ.* 51. iam temporibus IOANNIS Euangeliſtae, CHRISTVM pro mero homine venditabant, quem errorem et *Alogi* errarunt auctoribus ARTEMONE et THEODOTIS, neque minus PAVLLVS Samoſatenus cum aſſeclis. Omnis praeterea *Gnoſticorum* colluuies ſomniis ſuis de rerum principiis ſpiritu umque ex Deo emanationibus errorem, qui ARRIVM in transuerſum egit, paaeiuerunt.

(b) Vix enim CONSTANTINVS M., LICINIO anno CCCXXIV victo, ſumma rerum ſolus potitus erat, cum ARRII turbae anno CCCXVI ortae, Alexandriae publice erumperent.

principes sibi fauentes (c) vsque ad seculum VIII propagarunt. Neque vero cum veteribus ARRII sectatoribus ipsa haeresis exstirpata est: sed progressu temporum nonnulli subinde exstiterunt, qui eam renouare ac propagare infelici opera studuere; quorsum ex medii aeui seculo XII. dubie tamen referuntur PETRVS ABAELARDVS (d), GILBERTVS PORRETANVS et IOACHIMVS Abbas (e). Certius vero huc pertinent plerique *Antitrinitarii*, post reformationis auspicia ARRII errorem fouentes, quales fuere I. V. GENTILIS post varias per Italiam et Poloniam excitatas turbas in Heluetia capite truncatus (f), MATTHAEVS GIBRALDVS (g), GREGOR. PAVLVS (h), IO. PAVLVS ALCIATVS (i): neque minus GEORG.

(c) Praeter CONSTANTINVM M., qui non tam ARRII erroribus, quam sectatoribus fauebat, filius eius CONSTANTIVS secul. IV., cum VALENTE, reges *Vandalorum*, GENSERICVS et HVNNERICVS sec. V., et sec. VI. rex *Gothorum*, THEODORICVS et *Vandalorum* THRASIMVNDVS, ac secul. VII. ARIOVALDVS rex *Longobardorum*, eiusque successor ROTHARIS ARRII haeresin amplexi, cum multis Orthodoxorum vexationibus vsque ad secul. VIII. sustentarunt.

(d) Dissentiunt historici, an fuerit *Arrianus*, nec ne? BERNHARDVS in libro ipsius de *Trinitate* varios huius generis errores reperisse sibi visus est, ob quos in concilium anno MCXXI. eum vocabat. Quoniam autem contrarium in scriptis suis saepius declarauit, defensionem eius multi suscipiunt, eiusque accusationem ex priuato BERNHARDI odio profectam esse censent. vid. WALCHS *Einleit. in die Relig. Streit.* P. IV. p. 99.

(e) Confer. s. r. WALCHIVM *loc. cit.* p. 111. 115.

(f) Ex BENEDICTI ARETII historia condemnationis GENTILIS Geneu. 1576. eius errores apparent, cum docuerit, solum patrem esse verum Deum: filium vero ab ipso generatum, eique subordinatum, et quoad essentiam ab ipso maxime diuersum. cf. BAILII *Diction. hist. crit.* p. 1324.

(g) De GIBRALDI errore conf. SANDIVS in *Biblioth. Antitrinit.* p. 18. BAILII *Diction H. C.* p. 1399.

(h) Edidit tabulam de trinitate, quae Arrianismum sapit; vid. SANDII *Biblioth. Antitrinit.* p. 43.

(i) Magis hic ad SOCINI quam ARRII partes deflexit, recensente SANDIO *l. c.* p. 27. BAILII *Dict.* p. 149.

GEORG. BLANDRATA (k), et PETRVS GONESIVS (l). Quorum plurimis in SOCINI errores delapsis, nouum genus *Arrianorum* nostra tempestate successit, qui, praeter SANDIVM vtrumque (m) hunc errorem in Prussia renouantem, terras Anglicanas veneno suo infecerunt. Exemplum ceteris praeivit tum GVILIELMVS WHISTONVS (n) Cantabrigiae Professor, qui ob *Arrianismi* defensionem, ex libris primi seculi spuriis, quorum authentiam vindicatum ibat, multa cum specie gestam, munere deiiciebatur, nihilo tamen secius ob scientiae mathematicae et eruditionis criticae, qua inclaruit, celebritatem, defectum etiam refutatorum ipsi parium, sectatores bene multos sibi contraxit; tum D. SAMVEL CLARCKIVS (o) qui

(k) BLANDRATA *Arrianismum* initio tantum fouebat mox ad *Socinianorum* castra transgressus. conf. SANDII *B. A. l. III.* p. 428.

(l) GONESIVS ceteris in *Polonia* SOCINI sectatoribus contradicens in ARRII deliria incidit, vt ex eius confessione apparet, quam LVBIENITIVS *histor. ref. Pol.* L. II. C. IV. p. 111. recenset.

(m) Catalogum scriptorum *Arrianismum* prodentium a SANDIO vtreque editorum exhibet ill. PFAFFIVS *Intr. Litt. P.* II. p. 321. et 336.

(n) WHISTONI liber, ex quo errores eius *arriani* adparent, inscribitur *Primitive Christianity revived* seu Primitiuus Christianismus resuscitatus in IV. Vol. in quo IGNATII epistolas spurias et *Constitt. Apostol.* vindicare et *Arrianismum* ab omnibus Apostolis et Patribus Antenicaeis assertum fuisse demonstrare studet. Bis prouocauit eruditos ad pugnam, quam nemini inire placebat praeter MICHAELEM MAITTAIRIVM ipsi tamen imparem Postea melius eum refutarunt PETRVS ALLIXIVS, IOH. ERN. GRABIVS et ROBERT. TVRNERVS, *Histoire Critique de la Rep. des lettr.* *tom.* X p. 368. 369. Catalogum scriptorum WHISTONI vna cum refutationibus exhibet ill. PFAFFIVS *introd. in th. litter.* P. II. p. 274.

(o) CLARCKIVS edidit librum 1712. *the Scripture doctrine of the Trinity* inscriptum, in quo subordinationem filii ac dependentiam eius a patre ex scriptura demonstratum iuit. EDVARD WELLS refutationem eius susceptam minime praestabat. Reliquos eius aduersarios recenset ill. PFAFFIVS l. c. p. I. 257. vbi docet, CLAR-

qui *Arrianismum*, subtiliorem tamen, inuehere libris bene multis sategit; tum ex aliqua parte vtroque antiquior GEORG. BVLLVS, (p) qui Antitrinitarios refutaturus ipse ad sententiam de subordinatione interna personarum diuinarum abreptus est. Cuius refutator DANIEL WHITBY in grauiores errores brevi ante obitum decidit, quos antea magna cum soliditate impugnauerat.

§. II.

Inprimis de *Thoma Chubbio.*

His omnibus neque perniciosis erroribus, neque speciosa eorundem defensione inferior est THOMAS CHVBBIVS, ecclesiae Anglicanae Laicus, qui libro suo anno 1715. prima (a), paucis vero abhinc annis cum ceteris eius operibus secunda vice edito superioritatem patris, octo argumentis ex scriptura sacra desumtis, demonstrare, et ab obiectionibus vindicare laborauit, eoque labore non tam SOCINI, quam potius

CLARCKIVM non plane eadem cum WHISTHONO et *Arrianis* errasse.

(p) BVLLVS *defensionem fidei Nicenae*, ad euincendam Christi diuinitatem scripsit, in qua tamen sect. IV. p. 251 subordinationem filii et patris superioritatem expresse vindicare laborat, in quo aduersarios habuit HEIDEGGERVM in *Corp. Theol. Christ. libr.* IV. § 44. et GRAPIVM in *theol. recens controu.* C. II. p. 136. conf. praeterea PFAFFIVS *intr. lit.* p. I. p. 309.

(q) DANIEL WHITBY tractatum *de vera Christi deitate aduersus Arrii et Socini haereses* 1691. edidit, sed in scripto post obitum eius 1727. euulgato, sub titulo ὑστέραι φροντίδες sententia sua orthodoxa reuocata, errores is *Arrianos* professus est. vid. PFAFFII *introd. lit.* p. I. 257. 258.

(a) Libro huic inscripsit *The Supremacy of the Father asserted, or eight* „*arguments from scripture, to prove, that the Son is a being infe*„*riour, and subordinate to the father, and that the father alone is* „*the supreme God; drawn up for more private use but now made* „*public at the requests of some friends, by Thomas Chubb. a Laychember of the Church of* England. Vid. *H Critique de la Republ. des lettres tom.* X. p. 265. 266. Cui libro quum CLAGGETIVS opposuisset: *the Arrianisme anatomized*; ad eius responsionem vindicias alteri scripti sui editioni adiecit.

tius ARRII errores renouare censendus est (b). Inter argumenta eius cum *Arrianis* reliquis communia, maximi momenti nobis visum est illud, quod a testimoniis seruatoris nostri desumsit et vehementius vrsit. In quibus ab eius praeuaricatione vindicandis non inutilem collocaturi nobis videmur operam, periculum virium nostrarum facere iussi.

§. III.

Superioritas quid et quotuplex?

Ens, in quo maior gradus perfectionis est, quam in altero, dicitur eo *superius*, quare cum perfectiones sint vel *internae*, quae ad essentiam pertinent, vel *externae* ad modos et relationes referendae, superioritas etiam est vel *interna* vel *externa*. Perfectiones externae determinantur statu externo contingenti; praesertim respectu dependentiae, auctoritatis et officii: hinc superioritas externa contingens non includit superioritatem internam. In Deo cum nulli perfectionum gradus admittendi sint, Deus nullo est inferior, omnibus vero superior.

§. IV.

Status Controversiae negatiue 1) de Christo homine.

Secunda in Trinitate persona vnita cum Humanitate constituit personam IESV CHRISTI, mediatoris Deum inter et homines, quam igitur Deo inferiorem esse diuerso respectu vel negandum vel affirmandum est. Quodsi humana Christi natura spectetur, ea est limitata et creatura Hebr. X, 5. hinc gradus perfectionum internarum et externarum admittit: est ergo Deo inferior interne et externe §. 3. Quum vero CHRISTVS in terris hisce versatus ob summam, qua opus erat, exinanitionem

(b) Ill. PFAFFIVS *intrd.* p. II. p. 334. et C. r. WALCHIVS *Religion. Str.* c. V. p. 301. eum inter Socinianos referunt; contrarium vero apparet tam ex ipsiusmet testimonio, quod p. 27. et 28. exhibet, vbi praestantiam opinionis suae prae caeteris euicturus se suamque sectam, quam *Arrianam* vocat, ab *Orthodoxis*, *Sabellianis*, *Cerinthianis* et *Socinianis* distinguit: quam ex eo, quod CLAGGETIVM *Socinianismi* accusat, propterea quod subiectum patiens in Christo humanam naturam seu Christum hominem fuisse dixerat p. 74.

tionem tanquam merus homo ſaepius loquutus fuerit, (a) agnita et conceſſa ab eo patris ſuperioritas non niſi de humanitate, ſeu de Chriſto homine intelligenda eſt.

§. V.

nec 2) de Chriſto mediatore.

Reſpectu ſtatus externi perſona CHRISTI multiplex officium geſſit, ad reconciliandos Deo ſupremo homines §. IV. quod eum inferiorem reddidit Deo tum quoad officii huius originem a Deo deriuandam, qui aeterno decreto huic perſonae redemtionem generis humani commiſit, eumque ablegauit; ſuperior itaque Deus eſt CHRISTO vt mittens miſſo, hinc quoad auctoritatem relatiue externe ſine ſuperioritate interna §. III. tum quoad officii formam, qua CHRISTVS poenas hominum ſponte ſuſceptas luere ac iuſtitiae Dei ſatisfacere debuit; hinc Deo inferior fuit vt reus iudice quoad dignitatem, et externe, ſalua aequalitate interna §. III. tum vero quoad officii ſcopum ad honorem et gloriam patris ſpirantem, quae inferioritas, ad ſtatum externum pertinens, internam perſonae filii Dei cum patre aequalitatem plane non tollit §. III. In quibus igitur CHRISTI ſermonibus de relatione eius ad Deum externa agitur, ex iis nil niſi externa CHRISTI inferioritas probari poteſt, quam nulli negamus. §. III.

§. VI.

Poſitiue de Chriſto Deo.

Quodſi vero de diuina CHRISTI natura, ſeu CHRISTO Deo, aut filio Dei ſermo ſit, ipſum in ſe ſpectatum patri ſupremo Deo perfecte aequalem, nec eſſentialiter inferiorem eſſe ſacris litteris edocti affirmamus. *Neoarriani* autem et, quocum nobis iam res eſt, THOMAS CHVBBIVS, hanc CHRISTI Dei cum patre aequalitatem negantes, patri ſuperioritate vindicata, CHRI-

STI

(a) Acceſſit ſumma eius ſapientia indulgentiſſimo deſcenſu ad captum auditorum diuerſum manifeſtata, quae fecit partim, vt veram dignitatem ſibi competentem tacendo, ea de ſe praedicaret, quae externa conditio in ſenſus incurrens et communis opinio ipſi tribuebat, ne praeuiſo contemtu culpa auditorum fieret atrocior, partim vt diſcipulis fidei myſteria grauiora non vna vice, ſed ſenſim detegeret, plena de regno coelorum inſtructione paracleto demum venturo reſeruata IO. XIV, 26. XV, 26.

STI veram diuinitatem quae non poteſt non independens eſſe, euertunt. (a) Quem errorem CHVBBIVS ex CHRISTI teſtimoniis euincere deſudat, quae exſtant tum MARCI XIII, 32. tum IO. X, 27--30. tum IO. XIV, 28.

§. VII.

Primus locus, quem CHVBBIVS errori ſuo ſuffragari aeſtumat, exſtat MARCI XIII, 32. *de die autem et hora nemo nouit, neque angeli in caelo, neque filius, niſi pater.* In quibus verbis CHRISTVS diei et horae iudicii omnibus praeter patrem abiudicans, conſtituiſſe ipſi videtur tres claſſes entium patre inferiorum, ſcilicet hominum, angelorum et ipſius filii, prioribus quidem perfectione ſuperioris, patre tamen inferioris, ex quibus colligit, CHRISTVM ſuperioritatem patris non ſolum agnouiſſe et confeſſum fuiſſe, ſed etiam ignorantia ſibi ipſi tributa, re ipſa declaraſſe et teſtatiſſimam feciſſe. Cf. CHVBBIVS *pag.* 20. *Obiectio ex Loc. I.*

§. VIII.

(*) Verba eius in introductione nouae huic editioni ab ipſo praemiſſa p. 12. ſub finem ſic ſe habent: *The Son of God, our Lord Jeſus Chriſt is not a mode, property or the manner of exiſting, of a Being, neither a coalition or ſociety of agents: but a Being, that is on individual, moral agent, and this agent is in point of exiſtence, agency and all natural perfections, below or inferiour, and in point of authority ſubordinate, to that neceſſariry Being, who is this father, and the father alone excluſiue, of the Son of God our Lord Jeſus Chriſt, and of every other moral agent, is the firſt and chief being and agent, and the firſt and chief Gouvernour; he alone is the fountain both of being, agency and authority.* Quae ſic commode reddi poſſunt: Filius Dei Dominus noſter IESVS CHRISTVS non eſt modus, proprietas, aut exiſtendi ratio cuiusdam entis, neque complexus, aut ſocietas ſubiectorum agentium, ſed eſt ens, hoc eſt vnum indiuiduum moraliter agens, atque hoc ſubiectum agens, quoad exiſtentiam, actiuitatem, omnesque perfectiones *naturales*, ente neceſſario exiſtente, quod eius pater eſt, inferius et ſubiectum, atque quoad auctoritatem ſubordinatum eſt, patre ſcilicet excluſiue ſolo filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, et cuiusuis entis alius moraliter agentis. Qui primum et praecipuum ens agens eſt, ac primus et praecipuus gubernator, atque ſolus fons et eſſentiae et actiuitatis et auctoritatis in vniuerſum omnis.

§. VIII.

Integritas loci demonstrata.

Priusquam de vindicatione huius CHRISTI testimonii cogitemus, incorrupta eius integritas antea ventilanda est. Verba praecipua, quae sibi fauere credit; ἐδὲ ὑιὸς, ipsorum ***Arrianorum*** fraude textui inserta fuisse vetus iam opinio fuit, quae praesertim ***Pontificiis*** arrisit, magnum exinde emolumentum pro authentia et necessitate traditionum oralium expectantibus. Verum res nostra non tam desperata est, vt hoc effugio minus salutari indigeamus. Patrum primitiuorum industria in asseruanda codicis puritate non permittit, vt tale quid suspicemur: ***deinde***, si quae facta esset corruptio, non tamen in omnes codices Graecos et Latinos irrepere potuisset flagrante inprimis odio acerrimo inter ***Orthodoxos*** et ***Arrianos*** (a). Quia ***tertio*** opinio haec omni probabilitate destituitur, si expressam horum verborum ἐδὲ ὁ ὑιὸς mentionem iam a patribus Antenicaeis TERTVLLIANO et IRENAEO centum et quod excurrit annos ante ARRIVM factam, (b) ac ***denique*** explicationem eorum, vindiciasque contra ***Arrianorum*** praeuaricationes, ab antiquissimis patribus institutas, consideremus: quibus plane

(a) Non obstat hic solemnis illa codicum Noui Testamenti reformatio ab EVSEBIO *Caesariensi*, *Semiarriano* post Concilium *Nicaenum*, iussu CONSTANTINI M. facta; quamuis enim omissionem testimonii 1 *Ioh.* V, 7. in quibusdam codicibus originem inde traxisse, non admodum negemus; fatendum tamen est, EVSEBIVM tunc temporis non tam crasso ARRII errori, quam eius personae fauisse; nec hanc corruptionem, si vel maxime eam intendisset, tecte satis praestare potuisse. Controuersia enim iam flagrabat. Errores ARRII ab Orthodoxis e scriptura refutati et damnati erant, quare facile fraus detecta et damnata fuisset, si quam ab Eusebio factam Orthodoxi animaduertissent?

(b) TERTVLLIANVS libro *aduersus Praxeam capite* XXVI. de filio hominis loquens dicit: *ignorans et ipse Deum et horam vltimam soli patri notam* &c. IRENAEVS *adu. haeres. libr. II. C.* 48. *Irrationabiliter*, inquit, *et audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire, vos dicitis, quandoquidem et Dominus ipse filium Dei ipsum iudicii diem et horam concessit scire solum patrem, manifeste dicens: de die et hora nemo scit, neque filius, nisi pater solus.*

plane ſuperſedere potuisſent, ſi tale quid *Arrianis* obiicere ius et veritas permiſisſet. Quibus rationibus *quarto* accedit translatio horum verborum ὐδὲ ὁ υἱὸς a Syro interprete facta, cuius verſio antiquisſima et exeunte ſeculo ſecundo ad ſummum confecta esſe plerisque videtur. (c)

§. IX.

Et a dubiis vindicata.

Dubia contra huius loci integritatem mota deſumta ſunt *primo* a teſtimonio AMBROSII *libro* V. *de fide* CVII. contra *Arrianos* ſic loquentis, *primo veteres non habent codices, quod nec filius ſcit, ſed non mirum, ſi et hoc falſarunt, qui ſcripturas interpolauere diuinas, qua ratione autem videatur ad vitam proditur, dum ad interpretationem tanti ſacrilegii deriuatur* : ex quo tamen nil magis colligi poteſt, quam AMBROSIVM difficultate ea explicandi adductum ab *Arrianis* inſerta credidisſe, propterea quod haec verba in quodam codice, qui ad manus ipſi erat, non inuenerit; quod tamen *Arrianorum* ſcelus et nefariam corruptionem nondum demonſtrat, ſed quorundam interpretum explicationi phraſeos imparium ſcribarumque dubitatione omitti potuit. AMBROSIVM igitur vna cum omnibus opinionis eius defenſoribus errasſe, rationes noſtrae §. VIII. euidenter euincunt: *deinde* a teſtimonio HIERONYMI in *Comment. ad Matthaei* XXIV. *in quibusdam latinis codicibus additum eſt, neque filius, cum in Graecis et maxime Adamantii et Pierii exemplaribus hoc non habeatur adſcriptum, ſed quia in nonnullis legitur disſerendum videtur.* Quae verba tamen plane huc non pertinent HIERONYMO loquente non de verbis ὐδὲ ὁ υἱὸς in MARCO, ſed in MATTHAEO obuiis, qui ex conſenſu

(c) Accedunt praeter has rationes externas etiam internae, vbi tam ſcopus ſeruatoris ſuos ad vigilantiam excitantis, quam conſtructio vocis ὐδὲ vna cum termino relatiuo πατὴρ, verba haec requirere videntur conf. praeterea de authentia loci huius MILLII *proleg. editioni ſuae* N. T. praemisſa p. 218. et SAL. GLASSII *Philol. S.* lib. I. p. 160. atque inprimis IO. CHRIST. WOLFFII *cur. philol.* Tom. I. p. 515. &c.

consensu graecorum codicum ea omnino non exhibet, in latinis tantum codicibus quibusdam adscripta, vt recte obseruat HIERONYMVS. Quam ob rem tantum abest, vt ex eo textus corruptio probari possit, vt potius ex silentio HIERONYMI, tam industrii litterarum sacrarum custodis, et ex eorum explicatione ab ipso instituta contrarium appareat: *tertio* ex omissione horum verborum a MATTHAEO, cuius epitomator MARCVS fuerit; ad quod praeter illud, quod diuersa lectio locum habeat in MATTHAEO, duo nobis respondenda videntur. 1) Concedimus quidem MARCVM, in conscribendo Euangelio suo quoad facta ab ipso enarrata plerumque secutum fuisse MATTHAEVM, teste HIERONYMO; negamus vero MARCVM, nihil consignasse, nisi quod iam MATTHAEVS consignauerit. Multa enim exempla docent, MARCVM quaedam addidisse, quae MATTHAEVS non habet, e. g. MATTH. IV. coll. MARCI I. 13. vbi CHRISTVM fuisse cum bestiis MARCVS adiicit. 2) Diuinae sapientiae dare possumus, habuisse eam rationes, quae haec verba per MARCVM, non vero per MATTHAEVM, consignari curauerit.

§. X.

Scopus Seruatoris in hoc loco.

Integritate igitur huius CHRISTI testimonii euicta, vindicias eiusdem contra CHVBBIVM adgrediamur, *primo* nexum eius cum praecedentibus, et consequentibus, *deinde* sensum examinaturi. Argumentum huius CHRISTI sermonis, quo suis valedicit, cognitu difficile videtur, dum quaedam eius verba vers. 1-3. 14-16. Hierosolymorum deuastationem, alia vero v. 8-10. 24-31. seculi consummationem indicare videntur, arctiori tamen vinculo inter se connexa. Quodsi autem circumstantias Seruatoris externas, et totum mentis eius statum penitius inspiciamus, minimum errare nos credimus asserentes, Christum Hierosolymorum tristissimum exitum brevi post abitum suum irrupturum, ac simul eo praefiguratam totius orbis consummationem reditum eius excepturam discipulis suis vltimo sermone ideo indicare voluisse,

se (a), vt partim officia ipsis concredita, posthabitis negotiis externis, et remunerationem tam propinquam exspectantes eo alacrius exsequerentur, partim perpetuae vigilantiae studium sibi commendatum haberent, de die et hora reditus CHRISTI, praeter patrem nemini, nec ipsi CHRISTO ipsis omnia reuelanti nota, plane incerti. Ad postremam hanc officii partem eos statim post verba nostra magno cum animi adfectu incitat, qua excitatione absoluta ad calamitates vitae extremas et grauissimas proponendas properauit. Videmus igitur, 1) CHRISTVM haec verba, in summa exinanitione versatum edixisse, 2) vt discipuli de summa et non auferenda huius diei et horae incertitudine certi fierent.

§. XI.

Subiectum generalius negatiue οὐδεὶς.

Verba ipsa continent vnam propositionem, cuius *subiectum*, tum negatiue tum affirmatiue, et illo respectu iterum et generalius et specialius seu epexegetice exprimitur. Subiectum generalius negatiue continet vox ὀδεὶς, defectum et absentiam omnis subiecti agentis denotans, hinc non tantum in genus humanum restringenda. Generaliorem huius vocis significatum probat tum Etymologia, qua composita est ex ὀδὲ et εἷς; negatio autem voci εἷς adiecta semper est vniuersalissima negatio; vt videre est PS. XIV, 3. *neque vnus*, id est, plane nullus: tum vsus huius vocis a CHRISTO MATTH. XIX, 17. ὀδεὶς ἀγαθὸς ἐςι εἰμὴ ὁ εἷς ὁ Θεὸς, vbi sub voce ὀδεὶς non solum homines, sed etiam angelos et se ipsum in exinanitione constitutum comprehendit coll. MATTH. VI, 24. neque minus IO. I, 18. Θεὸν ὀδεὶς ἑώρακε πώποτε, ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. it. I IO. IV, 12. Θεὸν ὀδεὶς πώποτε τεθέαται, quod de angelis non minus, quam hominibus valet: tum denique vberior, quae

(a) Factum exinde est, vt discipuli reditum CHRISTI ad iudicium adeo propinquum vastationemque Iudaeorum immediate excepturum esse sibi persuaderent, vt videre est 2 *Thess.* IV, 15. 17. 2 *Petr.* III, 13. 14.

quae sequitur, huius subiecti negatiui declaratio, qua eos indicat, quos sub ὐδεὶς praesertim velit intellectos, angelos nimirum et ipsum filium. Homines enim in eius ignoratione versari, quod neque angelis, neque Θεανθρώπῳ exinanito notum erat, facile colligi poterat, et a seruatore dici, minus opus erat. Fallitur itaque aduersarius, tres classes ignorantium diem et horam iudicii hoc in loco fingens: hinc corruit derivata exinde consequentia, humanam CHRISTI naturam seu CHRISTVM hominem, hac voce ὐδεὶς inclusam (a) non posse intelligi sub voce υἱός. Quamquam enim concedimus, homines vna cum angelis et CHRISTO sub voce ὐδεὶς comprehendi, CHRISTI tamen humanitas, quum facta vnione cum diuinitate infinita perfectionum praecellentia prae aliis hominibus inclaruerit, iure ex vulgarium et merorum hominum numero excipi et angelis quoque anteponi omnino potuit et debuit.

§. XII.

Subiectum specialius negatve, vnum οἱ ἄγγελοι.

Specialior subiecti negatiui indicatio exhibetur, additamento epexegetico, ὐδὲ οἱ ἄγγελοι ἐν ὐρανῷ ὐδὲ ὁ υἱός. Ἀγγέλος vi Etymologiae significatu latiori nuntium et legatum ab aliquo denotat, quo sensu PAVLVS eam adhibuisse quibusdam videtur I COR. XI, 10. strictiori vero appellatio est spirituum eorum, qui in statu perfectionis, in quo Deus eos creauit, perseuerarunt, Deoque in exsequendis mandatis officium legatorum praestant, HEBR. I, 13. magna praeterea sapientiae, potentiae et sanctitatis perfectione hominibus praecellunt. Filium Dei vero plane non pertinere ad numerum angelorum, ex ipso hoc loco contra aduersarium euincitur. Contradistinguit enim CHRISTVS angelos a filio, cuius praestantiam prae angelis PAVLVS HEBR. I. vlterius exponit. Interim non negamus, CHRISTVM hanc appellationem gerere, tum quod in Vetere

(a) CHVBBIVS errorem hunc hausisse videtur ex versione, qua vsus est domestica, quae vocem ὐδεὶς transtulit per *no man*, communem huius linguae idiotismum: prodidit igitur ignorantiam graecae linguae in *Hist. Critiqu. de la Rep. des lettres tom.* X p. 261. ipsi tributam et a se *ipso* in dedicatione libelli sui p. 2. assertam.

Vetere Teſtamento, officio internuntii Deum inter et homines functus, Dei legatus fuit, hoc tamen diſcrimine, vt *angelus Iehoua*, GEN. XVI, 7. 11. 13. cap. XVIII, 17. 22. *angelus faciei Iehouae* EXOD. XXXIII, 14. 15. *angelus in quo nomen Iehovae* etc. EXOD. XXIII, 20. 21. appellatus fuerit: tum quoniam in N. T. mediatoris munere iuſſu et decreto diuino ſuſcepto, ſemper ſe a Deo miſſum et legatum eſſe declarat, IO. XVII, 8. XVIII, 11.

§. XIII.

Alterum ſubiectum negatiue ſpecialius Filius Dei.

Alterum ſubiectum ignorationis diei et horae iudicii ſpecialius eſt filius in verbis ὀυδὲ ὁ υἱός; quae quum primarium controuerſiae momentum efficiant, curatius a nobis expendenda ſunt. Vox υἱός indicat perſonam, quae in arctiſſima relatione eſt cum alia, ita vt eſſentiam ab ea communicatam habeat. CHRISTO competit haec appellatio duplici reſpectu, *primo* enim dicitur ὁ υἱός τοῦ Θεοῦ, qua denominatione aeterna ac independens eius diuinitas, quam neceſſaria et immediata generatione a patre communicatam habet, indicatur, et adiecto articulo ὁ, variisque epithetis, vt μονογενὴς (a) IO. I, 14. 18. ὁ ὢν ἐν κόλπῳ τοῦ πατρὸς IO. I, 18. (b) ὁρισθεὶς υἱὸς τοῦ Θεοῦ

(a) IOANNES antea dixerat, fideles eſſe ex Deo genitos; ne quis vero generationem CHRISTI cum fidelium eandem crederet, adiicit vno halitu, CHRISTVM eſſe vnigenitum eandem cum ipſo patre gloriam habentem. Vocatur vero vnigenitus non ob amoris et beneplaciti patris in eo ſingularitatem, ſed potius, quia eſt, quod plures non ſunt, a Deo ex eſſentia natus, quod vis vocis et cetera eius epitheta probant.

(b) Reſpicit haec phraſis PSALMVM II. 7. vox יָלַד ibi adhibita vſurpatur proprie et primario de patribus, vt patet ex IER. XXX, 6. *interrogate et videte* אִם יוֹלֵד זָכָר *an pariat mas.* Deus igitur ſibi tribuit ea, quae matris ſunt, immediatam filii a ſe generationem indicatam. Eandem emphaſin haec phraſis in IOANNE habere videtur nonnullis de matre tantum praedicanda. Participium praeſens vero ὁ ὢν aeternam ac ſempiternam hane filii ad patrem relationem ſignificare videtur.

Θεοῦ ROM. I, 4. (c) ab angelis et piis, filiis Dei tantum adoptiuis et improprie ac remote sic dictis, distinguitur.

§. XIV.

Refutatur obiectio contra denominationem Filii.

Mouet haec CHRISTI appellatio CHVBBIVM, vt de eius diuinitate summa aeterna dubitet, propterea quod vi vocis essentiam et exsistentiam a patre habeat, hinc non sit ens a se, sed patre inferior, vt filius parente. Ad quod respondemus *primo:* legitima esset eius consequentia, si generatio CHRISTI a patre actio transiens et in tempore facta esset; sed quum vox filius et generatio, per §. XIII. nihil aliud quam perdurantem filii ad patrem relationem, ex aeterna essentiae communicatione enatam, indicet, neque exsistentiae collationem et originem atque initium inferat, errat omnino. Ens enim a se dicitur, quod rationem exsistentiae in essentia sua habet; essentia diuina autem numerice vna non potest aliter exsistere, nisi tribus hisce personis, patre, filio et spiritu sancto; hinc actus relatiui in essentia diuina rationem habent. Ergo omnes tres personae constituunt ens a se et habent essentiam, quae a se est, atque adeo independens. Quod CHRISTVS affirmat IO. V, 17. vbi dicit, *se vitam habere a se ipso*, ita tamen, vt a patre datam accipiat. *Deinde:* Vis vocis admittenda est, quatenus Deo digna et §. XIII. explicata est, tum vero filius non includit inferioritatem sub patre. Generatio enim filii Dei differt a generatione hominum praerogatiuam parentibus creante. Illa enim non est, vt haec, actio libera, sed summe necessaria et essentialis, ita vt Deus non posset Deus esse, nisi sit pater et filius. Deinde non est actio transiens et temporaria sed aeterna ac perpetua. (*)

§. XV.

(c) ὁρίζειν proprie denotat *determinare, definire,* definite aliquid denotare, vt, quale sit, omnibus exclusis, appareat: sic CHRISTVS est ὡρισμένος ὑπὸ Θεοῦ κριτής, cum caeterorum exclusione, determinatus iudex ACT. XVII, 31. adeoque ὁρισθεὶς Θεοῦ υἱὸς verti debet: filius Dei ab omnibus distinctus et eiusmodi characteribus insignitus, vt cuilibet aeternus ac vnigenitus Dei filius appareat.

(*) Difficultas mysterium hoc perfecte explicandi eius veritati non

magis

§. XV.

CHRISTVS Filius hominis.

Deinde CHRISTVS vocatur υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου MATTH. XVI, 27. XIX, 28. XXIV, 30. 44. ad indicandam veram humanitatem, quam e MARIA virgine assumserat. Quamquam enim CHRISTVS homo sine patre fuit HEBR. VII, 3. tamen ex sanguine Mariae per spiritus sancti operationem sanctificato humanam naturam nactus, filius MARIAE hominis factus est. Emphasis in hac denominatione latens indicat tum summam eius exinanitionem, tum eius cum humano genere conformitatem naturae identitate et aequalitate constitutam: atque hoc significatu pariter Deum patrem suum nominat, tum quod ille corpus ipsi formauit, tum quod humanae naturae per communicationem idiomatum hoc attributum diuinae naturae filii proprium mediate tamen communicatum fuit. Loca quae hoc probant, exstant, tum LVC. IX, 26. ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με, καὶ τοὺς λόγους ἐμοὺς, τοῦτον, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς etc.

magis obstat, quam difficilis explicatio generationis humanae ortusque animarum eiusdem indubiae realitati. Sufficit ostendisse, primis rationis principiis illud non contradicere et sacras litteras abunde illam testari. Pertinet huc praeclarum Dei testimonium per MICHAM datum, c. V, 1. vbi triplex filii Dei egressus praedicatur. α) Messias ex Bethlehemo exibit, quod de assumta eius natura humana valet Bethlehemi in lucem proditura: idem ille homo verus β) habet *egressiones ab initio et ab aeternitate.* מִקֶּדֶם significat tempus ab infinito ad infinitum durans, et de Deo dicitur DEVT. XXXIII, 17. אֱלֹהֵי קֶדֶם Deus aeternitatis. PS. LV, 20. וְיֹשֵׁב קֶדֶם habitans aeternitatem. HABAC. I, 12. *nonne tu es ab initio Iehova.* מוֹצָא a verbo יָצָא generationem passiuam denotante *Gen* XVI, 6. 2 *Reg.* XX, 18 *Ier.* XXX, 21. descendens significat *egressum per natiuitatem.* CHRISTO igitur ex hoc loco generatio tribuenda est tam aeterna, quam ipse Iehoua aeternus est. γ) Tertium egressum Messiae scil. promissionis a diebus seculi HERM. WITSIVS *exercit. sacr.* p. 160. et MATTHAEVS WRENE in *Increpatione Bar Iesu* p. 9. in vocibus מִימֵי עוֹלָם latere credunt.

etc. tum 10. VIII, 28. vbi ſe dicit *filium hominis*, tamen vero Deum *patrem ſuum* nominat 10. XII, 23. coll. 27. ſe *filium hominis*, a patre glorificandum dicit per v. 26. 27. et 10. X, 17. neque minus huc pertinent omnia ea loca, vbi ſe dicit ad patrem iturum, quod praecipue de ipſo homine intelligi poterat 10. XVI, 16. 17. ſ. Ex quibus ſequitur, voces υἱὸς et πατὴρ non ſemper de relatione esſentiali intelligendas esſe, aut diuinam CHRISTI naturam ſpectare.

§. XVI.

CHRISTVS Filius mediator.

Appellatio igitur υἱὸς ſine additamento τοῦ Θεοῦ et τοῦ ἀνθρώπου CHRISTO data, perſonam eius exprimit, tam naturam vere diuinam, quam vere humanam comprehendentem officiumque mediatoris a Deo ipſi traditum gerentem. Eſt ergo generalior eius denominatio, quae eius relationem erga Deum et totum humanum genus ſatis commode indicat: atque tam eius diuinitatem reſpicit, quam humanitatem arctisſimo vinculo cum diuinitate coniunctam et ad hunc finem officii mediatorii necesſariam, eadem emphaſi, quae in voce Immanuel deprehenditur. Probatur vero hic ſignificatus tum ex 10. V, 20-23, *pater* indicat neminem, ſed omne iudicium tradidit *filio* tanquam Θεανθρώπῳ, quod patet ex v. 25. vbi CHRISTVS mortuos ſuſcitaturus filius Dei et IV, 27. eodem reſpectu *filius hominis* appellatur, it. ex v. 23. vt omnes honorent *filium*, ſicut *patrem* honorant; qui filium non honorat, nec patrem honorat, qui eum miſit, quod de gloria CHRISTI mediatoria intelligendum eſt. Quamobrem filius in relatione patris h. l. ſignificat mediatorem in relatione Dei ſupremi (a) tum ex 10. VIII, 36. ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε: homines autem vere liberos reddere, eſt officium CHRISTI

(a) FRID. AD. LAMPIVS etiam verſ. 26. ita explicat, vt Filius ibi CHRISTVM Mediatorem indigitet. Vbi multis rationibus euincit, non de communicatione esſentiae aeterna, ſed potius mediatoria CHRISTO a Patre collata, ſermonem eſſe. Quo admisſo etiam ex hoc loco ſignificatus vocis hic a nobis asſertus euincitur Conf. *Comment. in Ioh. Tom. II*, p. 67-74.

STI mediatorium; tum ex IO. XVII, 1. πάτερ, ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, δόξασόν σου τὸν υἱὸν, ἵνα καὶ ὁ υἱὸς σου δοξάσῃ σε. Filius glorificandus CAP. XII, 23. XIII, 31. filius hominis vocatur, eundem vero et filium Dei esse, colligitur ex pronomine τοῦ et ex vers. 5. adeoque per filium intelligamus h. l. necesse est CHRISTVM Θεάνθρωπον gloria mediatoria a Deo afficiendum; tum euidentissime ex I IO. IV, 14. ὁ πατὴρ ἀπέσταλκε τὸν υἱὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου. Cuiusmodi significatus ex adductis huius vocis υἱὸς nostro in textu admittendus sit, praedicatum docebit.

§. XVII.

Subiectum positiuum in textu nostro exprimitur per verba εἰ μὴ ὁ πατὴρ, tum subiectum ipsum, tum ceterorum exclusionem indicantia. Vox πατὴρ sensu latiori, de Deo trinuno adhibetur, ob factam ab ipso vniuersi creationem et conseruationem MATTH. VI, 8. 9. ACT. XVII, 18. MAL. I, 6. IOB. XXXVIII, 7. 28. strictiori vero primae personae denominatio est, tum quod illi opus creationis et conseruationis terminatiue adscribitur, tum relatiue ad CHRISTVM, et ab aeterno ex essentia eius generatum §. XXII. XXVI, et in tempore ab ipso in carnem missum §. XV, et mediatorem humani generis constitum (a) §. XVI. Cuiusmodi igitur significatus vocis υἱὸς locum hic habebit, illius etiam correlata significatio voci patris competat, necesse est. *Sobiectum Positionis πατηρ.*

§. XVIII.

Praedicatum sistitur verbis οἶδε περὶ τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας ἐκείνης. Obiectum nempe **dies et hora**, de qua hic sermo est, ex- *Praedicatum.*

(a) Hunc respectum praeter §. XVI. insigniter adhuc confirmat PAVLVS HEBR. *III*, 2. coll. v. 6. nam vers. 6. dicitur Christus Θεὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ et vt Deus dicitur ipsum *fecisse* seu constituisse in domo hac. Quod non nisi de officio mediatoris ipsi tradito intelligi potest. Voce tamen ποιεῖν patribus propria, in relatione ad vocem filium v. 6. posita. Vnde apparet, actiones personarum diuinarum oeconomicas actionibus earum internis relatiuis respondere et per eas determinari.

explicauimus §. X. vnde apparet esse diem et horam reditus CHRISTI ad iudicium, tum Iudaeorum, tum vniuersi generis humani, quod CHRISTI potestati traditum ab eius igitur arbitrio dependet coll. IO. V, 22. *omne iudicium pater tradidit filio*, MATTH. XXVIII, 18. et XXIV, 30. 36. *Formam* exprimit vox ὄιδε rei cognitionem non probabilem, sed certam IO. XXI, 17. 24. I IO. III, 14. non mortuam, sed viuam cum affectu et effectu coniunctam MATTH. XXVI, 12. LVC. XIII, 25. inuoluens. Dicit ergo CHRISTVS 1) notitiam puncti temporis ad iudicium determinati certam ac indubiam nec angelos nec filium habere, 2) competere ipsam soli patri. Ex quo notitiae defectu CHRISTO secundum altissimam et perfectissimam naturam ex mente CHVBBII tributo apparere credit, CHRISTVM patre longe esse inferiorem. (a)

§. XIX.

Responsio ad obiectionem prima.

Ad quam obiectionem responsuri triplicem viam ingrediemur. *Primo* liberales futuri, licet ob rationes intrinsecas non concedamus, ponemus tamen ad tempus, filium significatu suo eminentissimo, §. XIII. explicato, excellentissimam CHRISTI naturam seu CHRISTVM Deum indigitare; tamen non sequitur, quod CHVBBIVS inde deducit. Partim enim ipse Deus pater imperfectiones sibi tribuit, Deo digne, saluaque summa eius diuinitate explicandas, e. g. poenitentiam GEN. VI, 6. ION. III, 10. IER. XVIII, 7. 8. defectum sapientiae et scientiae inuoluentem. Quemadmodum igitur eas per metonymiam anthropopathicam *effectiue* de Deo θεοπρεπῶς intelligere nos iubet Hermeneutica, sic quoque haec CHRISTO Deo tributa ignorantia de defectu externae demonstrationis scientiae suae intelligenda est: praesertim quum ex §. XVIII.

(a) Verba eius p. 20. sic se habent: *Here i observe, that if we admit that groundless et unscriptural distinction of two rational natures in Christ, viz. a humane and a divine (as it is commonly expressed) it will not help the case, because the Son in his most exalted and highest nature is declared ignorant of the Day and hour referred to &c. &c.*

XVIII. CHVBBII que concessis (a) apparet, CHRISTVM in se spectatum, tempus et horam hanc nouisse: partim vero alia causa, quam superioritas patris subesse potest, quare haec scientia de Deo filio negetur, de patre affirmetur, quum ille propriore nexu cum discipulis coniunctus spem ipsis fecisset, quae nouerat, ipsis reuelandi: Deus pater vero non nisi per filium ipsis loquuturus esset. Cui igitur, ne plane de iudicio dubitarent, hanc scientiam tribuere poterat, sine spe reuelationis ipsis facta per patrem eam acquirendi. (b) Quae omnia consequentiam CHVBBII saltem irritam reddunt, quanquam hunc explicandi modum in se nullo modo probamus, eo tantum *κατ' ἄνθρωπον* vsi.

§. XX.

Secundo vero per filium non CHRISTVM Deum, sed melius CHRISTVM hominem seu eius naturam humanam ratione vsus perpetui diuinarum perfectionum exinanitam intelligimus. Tum quoniam hic significatus τȣ̃ ὑιȣ̃ possibilis est §. XV. tum quoniam CHRISTVS eo tempore in summa exinanitione versatus §. X. diuinitatem suam plerumque tacuit §. XV. tum vero quia in eodem sermone ante et post verba nostra semper se *filium hominis vocauit*, vt videre est MATTH. XXIV, *Responsio ad obiect.* CHVBBII *secunda.*

(a) Sic enim loquitur p. 20. *if the Son had the Knowledge of that Day and hour yet it was by communication of the father.*

(b) AVGVSTINVS *libr. I. de Trinitate C. XII. tom. III.* hanc sententiam confirmare videtur, sic loquens: „Et de die et hora nemo „scit, neque angeli in coelo, neque filius, nisi pater. Hoc enim „nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat, vt tunc „discipulis indiceret, sicut dictum est ad Abraham: nunc cogno„ui, quod timeas Deum, i. e. nunc feci, vt cognosceres, quia et „ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit.„ Et paulo post: „Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per eum scire non pot„erant, et hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire opor„tebat et in *Ps. VI. tom. VIII.* ita loquitur: „Hoc ideo dictum „est: quia per filium hominis hoc non discunt, non quod apud se „ipsum non nouerit, secundum illam locutionem tentat nos Deus, „vt sciat, hoc est, vt scire nos faciat.„

XXIV, 27. 30. 37. 39. 44. CHRISTVM hominem autem multis imperfectionibus ob exinanitionem subiectum Deo inferiorem esse, libenter CHVBBIO concedimus, interna CHRISTI filii Dei cum patre aequalitate nihilominus salua et illaesa manente §. IV.

§. XXI.

Exceptio refutata.

Vnica contra hunc sensum CHVBBII exceptio praeter eam, quam §. XI. refutauimus, in eo consistit, vt distinctionem inter diuinam et humanam CHRISTI naturam admittendam esse neget, putans CHRISTI a nobis dictam diuinam naturam ex sententia nostra ipsum esse patrem, et humanam esse illum hominem a se dictum filium Dei. (a) Responsio completa scopi nostri rationem excedit. Hoc tamen regerere liceat, diuinam CHRISTI naturam aequalem seu eandem esse cum natura patris quoad essentiam diuinam non negamus; praeter eam vero quaelibet persona diuina notas peculiares habet sibi soli proprias et distinctiuas, quibus modus subsistendi personalis per actus internos necessarios determinatus absoluitur. Secundum eam CHRISTVS Deus a patre differt, vt pater sit Deus supremus filium necessario generans, filius vero Deus supremus a patre necessario generatus. Atque hic filius a patre personaliter distinctus assumta humanitate constituit personam CHRISTI. Quod sacrae litterae omnino demonstrant CHRISTVM tum verum Deum IIO. V, 20. ROM. IX, 5. IO. I, 4. coll. 14. tum verum hominem ACTOR. II, 22. XVII, 31. declarantes. Doctrina haec igitur non est *vnscriptural and groundles*, seu scripturae testimonio et omni ratione destituta, vt eam CHVBBIVS vocat, quamquam terminus *naturae* imme-

(a) Contra CLAGGETIVM *pag.* 48. sic infert: *What he calls the divine Nature is so far from being the Son of God, in fact, that on the contrary it is the Father of Gods Son.* Tantum abest, vt illud, quod ipse naturam diuinam appellat, re ipsa filius Dei sit, vt potius sit ipse pater filius Dei. Et statim post: *What he calls the human nature is the true and whole and all that is the Son of God:* quod ille vocat humanam naturam, verus & totus Dei filius est.

immediate in ſacris litteris non obuius breuitatis et diſtinctioris perſpicuitatis cauſſa aſſumtus ſit.

§. XXII.

Omnem vero obiectionis anſam euitare mentemque CHRISTI plenius exhaurire credimus, ſi per τὸν υἱὸν non humanam eius naturam reſtrictiue, ſed *tertio* totam CHRISTI perſonam, mediatorem Deum inter et homines hoc loco intelligamus. CHRISTVS enim mediator fuit et Propheta et Sacerdos et Rex. Prophetae partes erant, vt de rebus ad ſalutem hominum pertinentibus ipſis veram, certam ac viuam cognitionem praeberet. Sicut vero omne officium ſibi a Deo traditum eſſe dicebat §. VI. ita et muneris ſui prophetici auctorem Deum patrem pronuntiabat, ita vt non ſolum res et veritates hominibus annuntiandas ſecundum qualitatem et numerum, ſed etiam rationem eas annunciandi a patre accepiſſe declararet; quod euincitur, tum ex IO. XII, 49. *Non loquutus ſum ex me ipſo* ſeu vt propheta, qui ſibi hoc munus arrogauit propria auctoritate *ſed pater, qui me miſit, praeceptum mihi dedit, quid dicturus et quid loquuturus ſim;* et v. 50. *quae igitur loquor ego, ita loquor, quemadmodum dixit mihi pater.* tum ex IO. XIV, 10. 24. *Verbum, quod auditis, non meum eſt, ſed patris, qui miſit me.* tum ex IO. XV, 15. *omnia, quae audiui a patre, nota vobis feci.* Ex quibus efficitur, CHRISTVM ea tantum diſcipulis tradidiſſe, quae ipſe acceperit a patre, id eſt, quae ad munus propheticum, patris iuſſu et auctoritate ſuſceptum, pertinerent; quae igitur diſcipulis nota non fecit, ea non fuerunt obiectum officii ſui prophetici hinc nec a patre accepit, pater ſolus nouit. Quare hanc eſſe credimus mentem ſeruatoris in textu noſtro, vt dicere ſuis voluerit, notitia diei et horae iudicii ad hominum ſalutem minus pertinens non eſt obiectum muneris prophetici τῷ υἱῷ tanquam mediatori a patre tanquam ſupremo Deo traditi: ipſe propheta et doctor, qui a Deo venit, eam neſcit, propterea quod vobis notam facere Deo non placuit. (a)

Reſponſionis ad obiectiones SCHVBBII tertiae Explicatio.

(a) Conf. AVGVSTINI teſtimonium ad §. 19. not. 2. adductum.

§. XXIII.

Eiusdem demonstratio.

Sensum hunc esse testimonii huius CHRISTI proprium edocemur, *primo* ex eo, quod CHRISTVS in toto hoc sermone prophetam se gessit, de futuris discipulos erudientem §. X. (a) *deinde* quod textus noster de iudicio CHRISTO a patre tradito agit, §. XVIII. cuius tempus determinatum se nescire dicebat, cognitio rerum vero ad officium propheticum referenda est §. XXII. et *tertio* demum, quia vox υἱὸς nude posita non tam CHRISTVM hominem, quam potius CHRISTVM Θεάνθρωπον, mediatorem, plerumque denotare solet per §. XVI. Quemadmodum igitur CHRISTVS hoc loco tanquam mediator in relatione ad Deum trinunum et patrem inprimis loquitur, (b) ita eius ex hoc testimonio deducta inferioritas externa §. III. internae eius cum patre aequalitati nullum plane affert detrimentum per §. V.

§. XXIV.

Alterum testimonium a CHVBBIO adductum.

Alterum CHRISTI testimonium pro patris superioritate exstare CHVBBIO videtur IO. X, 27--30. *Oues meae audiunt vocem meam, et cognosco eas, et sequuntur me, et ego do ipsis vitam aeternam, nec quisquam rapiet eas ex manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, et nemo potest rapere eas ex manu patris mei. Ego et pater vnum sumus.* Ex quibus verbis triplici ratione euinci posse credit patris superioritatem primo, quoniam CHRISTVS felicitatem ouium suarum in manu sua ostensurus eas vt thesaurum repraesentat, a patre sibi dono datum, quem studiose asseruare, veneratio patri datori debita

(a) CHRISTVS post sermonem hunc absolutum Bethaniam iuit, et lotis discipulorum pedibus, vltimas calamitates suscepit, coll. MATTH. XXVI. 1--14. IO. XIII. v. 1--27. en! notabilem transitum CHRISTI a munere prophetico ad sacerdotale.

(b) Facile igitur concedi potest CHVBBIO, CHRISTVM, quodsi vere nouerit iudicii diem, hanc scientiam a patre datam accepisse, quem sibi omnia tradidisse dicebat, ex eo tamen nil magis sequitur, quam CHRISTVM tanquam prophetam fuisse Deo inferiorem, quod non negamus.

debita requirat: (a) deinde quod ob insufficientiam propriae suae potentiae ad infinitam patris omnibus et se quoque maioris potentiam prouocat: tertio quod communicationem virium a patre sibi necessariam declarat ad curam et defensionem ecclesiae sibi commissam rite gerendam. Vt singula momenta eo melius discutiantur, opus est, vt *primo* nexum sermonis CHRISTI, *deinde* vero praeuaricationes sensus ab ipso factas per partes examinemus.

§. XXV.

Scopus et nexus verborum.

Sermo CHRISTI, ex quo testimonium hoc desumtum est, continet responsionem datam Iudaeis exprobrantibus ipsi, quod libere non dicat, se esse CHRISTVM. Quod crimen CHRISTVS a se declinaturus partim incredulitati eorum tribuit, quod non crederent, quia non essent ex ouibus suis, partim vero eos conuincere studet de eo, quod verus mediator sit a Deo missus, et infinitis Dei perfectionibus praeditus, ostendendo insignem felicitatem eamque perpetuam, quam propria sua potentia suis vt mediator largiatur. Loquitur itaque CHRISTVS tanquam Θεάνθρωπος mediator, siue CHRISTVS tam ad naturam suam vere diuinam, quam officium ipsi homini facto traditum respicit. (b)

§. XXVI.

Christus declarat potentiam suam infinitam per dationem vitae aeternae.

Perpetua fidelium sub cura CHRISTI Dei felicitas exprimitur verbis *do ipsis vitam aeternam et non peribunt in aeternum et nemo rapiet eas ex manu mea.* Ζωὴ αἰώνιος est status sempiternae beatitudinis, quam tam sensus gratissimus internae voluptatis, ex perceptione bonorum perfectissimorum ortae, quam status externi cum eo conformitas felicissima con-

(a) Ipsa CHVBBII verba singulis momentis subiungere satius esse existimamus.

(b) Insigniter hoc probat allegoria CHRISTI in hoc sermone, qua suos ouium, se autem pastoris nomine appellat, quoad pastor enim gregem suum pascit, vt propheta, deinde eum regit et dirigit, vt rex, denique vitam suam pro ouibus deponit, 10. X, 15. vt sacerdos, cui appellationi allegorice substituit vers. 16. appellationem filii Dei et se pastorem in relatione ponit cum patre supremo Deo.

constituit IO. XVI, 3. Hanc salutem fidelibus dare inuoluit eam non solum possibilem reddere, tam secundum internam capacitatem eorum, quam externum ius et potestatem, sed etiam possessionem eius actu ipsis impertiri. CHRISTVS igitur sua potestate hominibus vitam aeternam largiens 1) omnia requisita redemtoris habet, inter quae eminet possessio perfectionum diuinarum: 2) vi omnipotenti gaudet, ad praeparandos animos ad hanc salutem: 3) bona perfectissima possidet, quae vnice sunt infinita et perfectiones diuinae: 4) summa pollet auctoritate et iustitia, iudicis perfectissimi potestatem exercens. Quae omnia quum necessaria sint entis infiniti attributa, indubium est, CHRISTVM diuinam suam perfectionem et potentiam testimonio hoc indigitasse; quod adhuc clarius apparet ex sequentibus, quae tum ad perpetuitatem huius felicitatis demonstrandam, tum infinitam potentiam suam euincendam adiecit.

§. XXXII.

Ac simul perpetuitatem eius adsertam.

Perpetuitatem felicitatis indicaturus CHRISTVS dicit, non peribunt in aeternum et nemo rapiet eas ex manu mea. Per manum intelligit partim diuinam suam potentiam omnibus longe superiorem, vt vox haec occurrit IES. LIII, 1. LII, 10. et praecipue de CHRISTO Messia IES. LXIII, 5. partim vero benignissimam curam, cui fideles commissi sunt, quo sensu DAVID hanc vocem adhibet PS. CXIX, 109. Tria igitur his verbis indicat, primo esse hostes, qui ouibus suis insidias struerent, eosque non infirmos sed validos et feroces, quod inuoluit vox ἁρπάζειν, de publicis et violentis praedonibus, ingenti adeo vi instructis, vsurpata: deinde suos esse intimae suae curae, amori et obseruationi diligentissimae commendatos, et denique curam hanc infinita potentia sua esse suffultam, adeo vt omnes hostes longe ipso sint inferiores futuri. Videmus igitur CHRISTVM infinitatem perfectionum suarum satis superque his verbis indicasse, quam ob causam non tantum secundum relationem mediatoriam ad Deum, sed etiam secundum relationem essentialem ad patrem loqui censendus est.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Quibus praemissis ad singulas aduersarii obiectiones respondere facilius erit. Desumsit eas ex ratione, quam CHRISTVS de perpetua suorum securitate, ex infinita sua potentia deriuata, reddidit. Quam triplicem sibi fingit, quum tamen vnica tantum sit, tribus autem membris consistens. Obiectio eius prima deducta est ex verbis, *pater qui mihi dedit* eas, quam dationem CHRISTO a supremo Deo factam eum obligare putat ad studiosam ouium datarum conseruationem. (a) Ad quod respondemus. *Primo*, datio haec duplex est, tum ab aeterno facta, per consilium pacis, et decretum, quo CHRISTO mediatori opere redemtionis consummato fausta scopi impetratio fide multorum in ipsum demonstrata, promissa fuit. Quae datio quidem in necessaria filii ad patrem relatione fundata, tamen vero non necessaria, sed libera fuit, a CHRISTO sponte suscepta, non ob dependentiam ipsius a patre, sed potius ob pacti rationem, quae nullam infert intrinsecam paciscentium praerogatiuam. Quare terminus dationis vt de ipso patre θεοπρεπῶς intelligendus est, ita quoque filii Dei internam aequalitatem cum patre nullo modo tollit, quum nihil amplius quam relationem eius externam inuoluat. (b)

Obiectio I. ex datione patris desumta cum responsione I. de datione ab aeterno.

§. XXIX.

(a) Verba eius sic se habent: *Our lord shews how they come to be thus safe in his hand upon a threefold account. First as they were a treasure, given or committed to his care, by the father, and therefore, it was reasonable, to suppose that he would out of respect to his father, whom he loved and served take care of a gift and treasure, that his father hath committed to his care.*

(b) Haec datio expresse indicatur IES. LIII, 12. *idcirco partem dabo eis in multis, et robustos accipiet in praedam, pro eo, quod profudit in mortem se ipsum.* Vox חָלַק denotat portionem vel sorte vel hereditate vel labore militari acquisitam alicui tribuere. Triplex respectus in CHRISTVM quadrat. Prior et alter probatur ex PS. XVI, 6. vbi CHRISTVS sorte sua inter populum iudaicum eiectus,

§. XXIX.

Respons. II. de datione in tempore facta.

Deinde haec datio facta est in tempore, partim demonstrata diuina CHRISTI missione ad excitandam hominum fidem, partim facta animorum praeparatione per sensum legis et diuinae irae, partim ipsa inclinatione eorum ad CHRISTO fidem dandam, eiusque meritum amplectendum. IO. VI, 44. 65. 29. Nititur itaque haec datio relatione non essentiali, sed oeconomica filii ad patrem, qua pater ordinem salutis constituit, vt homines per filium saluarentur. (a) Hinc ea patri personaliter sumto essentialem praerogatiuam nequaquam tribuit §. VI. adeoque in hac loquutione nullam CHRISTVS superioritatem patris essentialem affirmauit.

§. XXX.

Respons. III. de Connexione verborum.

Tertio CHVBBIVS per venerationem patris, ob quam filium hoc donum tam studiose asseruare putat, aut honorem et reuerentiam, quam CHRISTVS patri ob essentialem ab eo dependentiam debeat, aut mutuum amorem CHRISTVM inter et patrem perfectissimum intelligit; sin prius, mirifice sane fallitur, propterea quod 1) datio haec oeconomica CHRISTO non qua filio Dei essentiali, sed potius qua mediatori facta est §. XXIII. 2) CHRISTVS mediator eam non ob internam dependentiam, sed ob externam relationem, quae diuinitati ipsius nil detrahit, §. VI. suscepit: sin posterius vero, habet nos omnino consentientes, quae vero tantum abest, vt eum patre inferiorem reddat, vt potius summam eius cum ipso aequalitatem declaret. Ratio igitur, quare CHRISTVS dationis a patre factae mentionem iniiciat; triplex est: 1) vt necessitatem securitatis

eiectus, dominum dicit *sustentare sortem suam, quae ceciderit ipsi in amoenitates* i. e. gentes profanas per PS. II, 8. IES. XXXV, 1. 2. quae gentes ipsi destinatae *perpulchra hereditas ab ipso nuncupatur.* PHIL. II, 9‥11. ob quod consilium ipsi datum Deo benedicit. Tertium respectum ipse Deus in IES. addit fideles praedam Seruatoris appellans.

(a) CHRISTVS hoc expresse indicat IO. XVII, 6. *Tui erant,* dicit, (non vero vt fideles, sed potius tantum, vt res creatae) *et mihi eos dedisti* non vt creaturas tantum, sed vt fideles per ipsum redemtos et fiduciam in ipso collocantes.

tatis fidelibus a se procurandae indicet, quoniam tum scopus officii sibi a Deo traditi, tum honor supremi Dei eam requirat: II.) vt de studio suo in seruandis fidelibus certos faciat auditores, propterea quod illi merces laboris sui et portio sunt, quam sanguine sibi acquisiuerit: III.) vt nexum suum cum Deo externum et acceptam exinde potestatem mediatoriam iis ob oculos ponat, quae ad vsum infinitae suae potentiae pro salute fidelium eum obstringat.

§. XXXI.

Obiectio II. a patris maioritate petita et explicatio vocis maior.

Alterum superioritatis patris vestigium CHVBBIVS in praedicato et sequenti additamento quaerit (a) *pater maior est omnibus et nemo potest rapere ex manu sua.* (b) Maioritas patri tributa inuoluit infinitam omnium perfectionum praecellentiam, tam quoad ambitum, quam gradum. Hinc maior omnibus est idem ac maximus I COR. XIII, 13. Hoc loco maioritas patris praesertim respicit superioritatem eius potentiae, qua omnes creaturae ipso longe sint inferiores. Quod attributum sicuti inter omnes gentes profanas et praesertim Iudaeos (c) supremo numini vindicatum fuit, ita CHRISTVS illud praemisit, vt postea sua cum patre identitate declarata eo minus de sufficientissima sua potentia dubitare possint.

§. XXXII.

(a) Verba eius l. c. p. 21. sic se habent: *In these words our Lord seems plainly to imply, that his own power when considered separate from the power of the Father was inferiour or below the power of the Father.*

(b) Sequimur lectionem maxime probatam et scopo CHRISTI consentaneam, quanquam TERTVLLIANVS et AVGVSTINVS non μειζων, sed μειζον legere maluerant, referentes maioritatem non ad patrem, sed ad donum patris CHRISTO datum. conf. MILLII *Nou Test.* ad hunc locum.

(c) De diis profanis epitheton hoc vsurpatur ACTOR. XIX, 35. μεγάλη ἄρτεμις. VIRGIL. *Aeneid. III.* 10. et Iupiter semper nomen Optimi Maximi gessit. De Deo Summo occurrit DEVT. X, 17. PS. *XLVIII.* 2. *CIV,* 1. *CXLV,* 3.

§. XXXII.

Responsio I. CHRISTVS non comprehenditur sub voce πάντων

Vox πάντων exprimit vniuersitatem creaturarum sensu latissimo, strictius vero hoc loco complexum raptarum ouium CHRISTI, satanam eiusque cohortes, malos homines et corruptores et persecutores, et ipsam prauam hominum voluntatem. CHRISTVM autem sub hac voce, vt CHVBBIVS errat, non esse comprehensum, euidentissime apparet I.) ex eo, quod CHRISTVS nunquam inter hanc creaturarum vniuersitatem refertur. Ipse CHVBBIVS negat, eum esse ex creaturarum vulgarium numero: (a) II.) ex eo, quod, quanquam pater quibusdam locis maior CHRISTO vocatur, alia tamen ratio est, qua pater maior creaturis, quam qua maior CHRISTO est: III.) quia CHRISTVS non fuit ex raptoribus ouium quas haec vox speciatim designat. IV.) quoniam id scopo CHRISTI e diametro repugnaret. Rationem his verbis reddit de sufficientissima potentia sua ex aequalitate sua cum patre petitam: V.) quoniam CHRISTVS sibi contradixisset versu 30. quo se cum patre vnum esse affirmat. Vnum vero non potest esse maius et minus. Magnifice errat igitur CHVBBIVS, patris superioritatem ex his verbis deducturus, quae contrarium euincunt. Nam si pater maior omnibus est et CHRISTVS cum patre vnum est, etiam CHRISTVS maior omnibus seu maximus esse debet.

§. XXXIII.

Respons. II. de scopo horum verborum.

Quod ad *scopum* attinet, quare CHRISTVS ad hanc patris maioritatem prouocat, errat CHVBBIVS insufficientiam potentiae CHRISTI in se spectatae et a potentia patris separatae assumens (b). Petit enim principium, quid inferioritatem CHRISTI ex his verbis demonstraturus, eam vt iam suppositam

(a) Pag. 78. ita dicit: *if the name creature be applicable only to such things, as were produced after any particular manner, then the son may very well be conceived not, to be a Creature.*

(b) Verba eius sunt p. 21. *In these Words our Lord seems plainly to imply that his own Power when considered separate from the Power of the Father was inferiour or below the Power of the Father.*

positam assumit. CHRISTVS e contrario sufficientiam potentiae suae ex iisdem deriuat, declarata postea sua cum patre aequalitate; et quicquid de manu patris dicit, idem dixerat de manu sua, hinc manus CHRISTO et manus patris aequales sunt. Quid vero de separata CHRISTI a patre potentia somniat, aut nos non tangit, aut errore laborat. Si potentiam humanitatis naturalem putat, ea est omnino limitata Deoque inferior, sed nec de ea sermo hic est, nec inter nos controuertitur. Aut si potentiam CHRISTI mediatoriam intelligit, non est ea potentia, sed potestas siue facultas externa infinitam suam potentiam ad officia mediatoria adhibendi; adeoque vt mediator externe quidem Deo inferior est, non vero interne quoad potentiam, quae in eo est infinita. Quodsi autem potentiam eius diuinam sensu eminentissimo, de qua iam res agitur, a patre separatam et CHRISTO in se propriam appellet, contradicit omnino CHRISTI effato, *ego et pater vnum sumus.* Ipsa enim potentia patris infinita est etiam essentialiter CHRISTI.

§. XXXIV.

Tertium argumentum pro patris superioritate quaerit CHVBBIVS in verbis CHRISTI, *ego et pater vnum sumus.* Quibus verbis declarasse putat, patrem communicando secum potentiam infinitam insufficientiam virium suarum supplere ideo, vt curam regendae ecclesiae sibi cum ipso communem rite gerere queat. Manifestum est aduersarium errores suos scripturae inferre, et verba planissima iuxta erroneas, quas fouet, hypotheses detorquere. Placet tamen adgressus eius hostiles veritate praeualente declinare.

Obiectio III. ex verbis, ego et pater vnum sumus, desumta.

§. XXXV.

(*) P. 21 sic scribit: *I and my Father are one is as much as if he had said, as the father hath put the care of the Church upon me, so he has put his Power upon me also to enable me to discharge that thrust &c. I and my Father are one not numerically but one in the Care and preservation of the Church.*

§. XXXV.

Respons. I vindicatio sensus.

Respondemus ad haec duo. Primo quod ad verborum sensum attinet; per pronomen ἐγω tota persona CHRISTI loquentis intelligenda est, non solum quoad officium mediatorium, sed etiam quoad essentiam diuinam, in cuius personalitatem humana natura recepta est. Quod probamus 1.) quia pronomina personalia personam omnimode determinatam et secundum tot respectus exprimunt, quot circumstantiae admittunt: 2) quia CHRISTVS tam de officio suo mediatorio, hinc vt mediator, quam de infinita sua potentia ad suos defendendos, hinc de natura diuina, in his verbis loquitur. §. XXV. 3.) quoniam respectus officii mediatoris in vnitate cum Deo supponit vnitatem respectu naturae diuinae; quare cum natura humana non constituat personam, CHRISTVS dicens, *ego mediator*, necessario supponit naturam suam diuinam: 4) quoniam Iudaei sermones CHRISTI bene attendentes, CHRISTO non reprehendente sed confirmante, hoc pronomen vtroque respectu sumebant: 5) quoniam CHRISTVS ipse vers. 36. verba sua perloquutionem synonymicam explicaturus substituit, se dixisse, *filius Dei sum*, hinc *vnum esse cum patre* idem est ac *Dei filium esse*. Ex quibus omnibus apparet, CHRISTVM in his verbis non solum ad relationem suam externam, sed potius ad internam cum patre aequalitatem respexisse. Vnitas itaque, quam de se filio Dei ac mediatore, et patre suo affirmat, non tantum est moralis, sed etiam simul essentialis, ita vt per hoc eius testimonium, ipse filius cum patre inseparabilia constituant, quae ens supremum et infinitum efficiunt, adeoque ad Deum necessario pertinent, tamen vero vt personae distinctae. Ex quo enascitur omnino vnitas moralis et consensus, qua inter filium, assumta carne homines redimendi potestatem nactum, et patrem eius perfectissima voluntatis et amoris consensio, ac simul plena in exercenda potentia infinita conspiratio intercedit; quae tamen vnitas moralis locum plane non habet sine essentiali, quum nemo Deum perfectissime amet, perfectissimeque ab eo amari possit, nisi sit ipse perfectissimus; neminique perfectissima et inexplorabilis voluntas eius identice,

id

id eſt, eodem gradu et ambitu, propria ſit, niſi enti infinito: quod etiam hoc loco tam vis dictionis emphatica, quam vox numerica τὸ ἓν, et ſcopus ac confirmatio CHRISTI euidenter demonſtrant. Euictum igitur eſt errare CHVBBIVM, de vnitate CHRISTI morali, excluſa eſſentiali, haec verba interpretantem. Mauult enim mentem CHRISTI in ſermonibus ſuis mutilare, quam erroribus ſuis nuntium mittere.

§. XXXVI.

Reſponſ. II. vindicatio ſcopi.

Deinde ſcopus ſeruatoris in verbis his adiectis non fuit, vt communicationem virium a patre ob ſuarum inopiam neceſſariam declaret: nam 1) inſufficientiae ſuae ne vno quidem verbo mentionem fecit, hinc nulla adeſt ratio, cur de virium ſubminiſtratione a patre auditores conuinceret: 2) CHRISTVS non ſolum ſe vt mediatorem, ſed etiam vt diuinum mediatorem probare vult §. XXV. hinc ſufficientiam virium ſuarum in ſe adſtruere ſcopus eius popoſcit, et ipſe ſe ſufficientisſimum quoque declarauit v. XXIIX. conf. §. XXVI. XXVII et XXIX. conf. §. XXXI. XXXII. Ne igitur de eo dubitarent, ſubiungit his verbis rationem, nempe vnitatem ſuam cum patre indubie maximo et eſſentialem et moralem: 3) nullum adferri poteſt exemplum, quo vnitas asſerta de perſonis diuinis meram virium ſubminiſtrationem denotet; quae enim vnum ſunt, ſunt aequalia et eadem. Inter aequalia et eadem vero non habet locum inferioritas potentiae, hinc nec communicatio eiusdem. CHRISTVS igitur nec ad patris omniſufficientiam prouocat, nec ambages in demonſtratione ſufficientiae ſuae ſequutus eſt, hinc ne ſpecies quidem inferioritatis eius ſub patre in eadem latet.

§. XXXVII.

Tertium CHRISTI teſtimonium.

Reſtat tertium CHRISTI teſtimonium, ex quo perperam intellecto colorem errori ſuo adſpergere CHVBBIVS laborat. Exſtat illud IO. XIV, 28. *audiuiſtis, me dixiſſe vobis, abeo et redeo ad vos: ſi diligeretis me, gauderetis vtique, quod dixerim, proficiſcor ad patrem, nam pater maior eſt me.* In quibus verbis CHRISTVM loqui ſecundum diuinam naturam, non vero ſe-

cundum

eundum humanam, ac secundum illam tam beneficia a patre accepisse, quam patrem se maiorem declarasse supponit. (a)

§. XXXVIII.

Erroris I. refutatio. CHRISTVS *non loquitur secundum naturam diuinam sed officium mediatorium.*

Primarium CHVBBII suppositum est CHRISTVM loqui in his verbis secundum naturam diuinam. Errat autem vehementer, quia tum nexus, tum sensus verborum naturam diuinam abstractiue hoc loco assumere prohibent. Nam 1) omnis sermo, cuius haec verba pars sunt, continet admonitiones mediatorias, et praedictiones imminentis CHRISTO calamitatis hominum causa subeundae: 2) appellationes, quas CHRISTVS sibi in hoc sermone tribuit, non eum secundam naturam diuinam, sed tantum quoad officium mediatorium denotare possunt. Vocat se vers. 6. *viam* et *vitam, qua itur ad patrem*, v. 24. *a patre missum*, v. 31. *praecepta patris facientem*, quae nomina officium eius exprimunt: 3) opera, quae sibi tribuit, pertinent non ad eius personam diuinam, sed ad officium mediatorium: sic e. g. dicit, *se esse abiturum ad parandum nobis locum* v. 3. *patrem rogaturum, vt det paracletum* v. 16. *pacem illam suam discipulis relicturum* v. 27. in quibus omnibus CHRISTVM se gerere mediatorem quis non videt? 4) CHRISTVS in verbis nostris eo respectu de se loquitur, quo profectus est ad patrem, sed vt filius Dei vnigenitus non potest proficisci ad patrem; est enim semper in sinu patris Io. I, 18. Rediit vero ad patrem et missus ab eo mediator, hinc apertum est,

(a) Verba eius p. 22. sic se habent: „*In this Vers our Lord telleth his disciples, that his departure was a proper ground of joy to them, if they loved him, because every lover recoyceth at the good and exaltation and increase of happiness, that is conferred on his beloved: and that they might be satisfied his going from them would be for his promotion and good, he declareth that the father, he was going to, was greater than he, and consequently was able to give and confer on him, what ever was necessary thereunto, but if our lord was a coordinate being with the father, he would not receive any such benefit from him, as his argument here supposeth, nay he would not in his human nature &c.*

est, de diuina CHRISTI natura in se considerata non valere haec praedicata, quae de externa CHRISTI relatione dicta fuerunt. Sufficeret haec responsio ad CHVBBII obiectiones irritas reddendas, grauitas autem rei eas adhuc per partes discutere poscit. (a)

§. XXXIX.

Erroris II. refutatio Christus exaltatus est vt mediator, non vt Deus.

Deinde erroneum sibi quoque fingit verborum nexum. Putat enim CHRISTVM tristitiam de abitu suo discipulis exprobraturum, indicare, quod abitus ipsius causa laetitiae ipsis euadere debeat, si eum diligerent, propterea quod diligens alterum ingentem voluptatem capiat ex eius, quem diligit, salute, exaltatione felicitatisque incremento. Quod suppositum sano sensu explicatum concedere possemus. Quibus vero rationibus CHVBBIVS hanc exaltationem felicitatisque incrementum diuinae CHRISTI naturae adscribat, disquiramus necesse est. Per abitum ad patrem CHRISTVS intelligit hoc loco sensu strictiori consummationem officii et praecepti ipsi a patre traditi, quam subeundo extremum exinanitionis gradum praestare animus ipsi erat, quum sensu latiori omnis eius vita, qua officio mediatorio perfungebatur, abitus fuerit ad patrem, propterea quod voluntatem eius exsequi, negotium erat ipsi praestitutum. Respicit haec phrasis missionem eius a patre, qua tanquam legatus Dei causam Dei ac hominum gessit, eademque confecta ad patrem, qui misit eum, reuerti et rationem de expeditione sua reddere, oeconomica eius relatio poposcit. Quemadmodum vero per pactum pacis aeternum merces gloria ac honor cum redem-

(a) Nonnulli Patres antenicaei haec verba de CHRISTO Deo intellexisse videntur, in quo tamen ARRIANI, quod glorientur, nihil habent. Maioritatem enim patris non essentialiter, sed personaliter, satis licet incommode, explicant. IRENAEVS *libr. II. c. 49.* PETAVIVS *Dogm. Imp. de Trinitate libr. II. c. II.* Patres Postnicaei, vt ARRIANIS responderent, de mera humanitate CHRISTI sumserunt, quod etiam inter recentiores GERHARDVS adstruere operose laborat, verum vis vocum et nexus totius sermonis respectum ad mediatorium officium praeferri iubent.

redemtionis consummatione coniuncta erant, ita quoque CHRISTI abitum ad patrem gloriosa eius exaltatio seu vsus et possessio honoris ac gloriae ipsius mediatoriae excipere debuit. Quae quum simul cum ingenti fidelium emolumento consociata esset, quod tum ex consummatione salutis suae, tum ex perpetua CHRISTI intercessione, tum ex missione paracleti, tum vero ex gloriosa hostium suorum vindicatione per CHRISTVM exaltatum expectare poterant; CHRISTVS eam vt fontem gaudii ipsis repraesentabat, supposito eorum in se amore. Gaudere poterant et de suis emolumentis inde expectandis, et de CHRISTO officio suo tam praeclare et gloriose perfuncto, si CHRISTVM amassent,* id est, si amor eorum in CHRISTVM partim ex legitimo fonte perspecti finis officii sui et non ex mera personae amicitia profluxisset, partim voluntati patris in legatione CHRISTI magis conueniens, in tentationibus magis constans et in bonis externis non magis quam gloria CHRISTI oeconomica suaque salute spirituali defixa fuisset.

§. XXXX.

Vberior deductio et applicatio praecedentis.

Errat igitur CHVBBIVS magnifice, quod hac CHRISTI exaltatione aequalitatem eius internam cum patre tolli sibi persuadet, sic inferens, si esset *ens cum patre coordinatum, non posset accipere ab eo beneficia.* Etenim *primum* beneficia haec exaltationis non recepit vt ens cum patre coordinatum, quum eo respectu nunquam iis caruerit, sed recepit vt mediator, neque vt beneficia, sed vt gloriam, consummato labore sibi ipsi oeconomice contractam. Assumsit filius Dei ideo humanam carnem, vt communicatas ipsi praerogatiuas requirente officio deponere

(*) ἀγαπᾶν denotat amorem intensissimum et rationalem, quod patet partim ex Etymologia, qua alii, vt BVDAEVS ab ἄγαν et πάνομαι, alii vero, vt HARMARVS in *Lexico Etymol.* ab ἄγαν et πάω deriuant, vt sit auide rem possessam amplecti, partim ex locis MATTH. XXII, 37. I IO. II, 15. MARCI X, 21. Quapropter LVD. DE DIEV in *Commentar. in Euangelistas* et ERASMVS a φιλέω ita differre volunt vt *amo* a DILIGO, vt CICER. *Dolabellam antea diligebam, nunc amo.*

ponere et recipere posset. *Deinde* vt eius exinanitio, quin totum mediatoris officium sponte susceptum et relatiue ac externe gestum internae diuinitatis eius aequalitati cum patre nullo modo obstat, §. V. ita quoque receptio gloriae depositae seu exaltatio ipsi noxia esse nequit, quod PAVLVS vberius quoque probat contra Iudaeos HEBR. II. Quod vero *tertio* a patre dicatur exaltatus, hoc plane non respicit internam et essentialem relationem, sed vnice tantum oeconomicam, qua pater et essentialiter sumtus pro Deo trinuno et personaliter per oeconomiam operationum diuinarum repraesentatur vt mittens, et CHRISTVS mediator vt missus, ille vt iudex, hic vt reus. Quam ob rem quum exaltatio praemium CHRISTI pro exantlato labore, praemia autem a iudice distribui fas sit, CHRISTVS quoque dicitur in sacris litteris a patre seu quod idem est a Deo exaltatus PHIL. II,9. Et ea ipsa *quarto* ratio est, quare natura humana non dicatur exaltata a diuina. Repugnaret enim oeconomicae personarum relationi. Deus trinunus et pater inprimis oeconomice ablegauit Messiam, diuina CHRISTI natura autem est tantum persona in Deo trinuno, qui per appellationem patris saepius exprimitur. Praeterea autem humana CHRISTI natura a patre dependet, vt a creatore, iudice et scopo supremo.

§. XXXXI.

Tertio denique quod ad postrema verba attinet, quae nobis obiicit CHVBBIVS, *nam pater maior me est*, ea adiecta putat a CHRISTO ad demonstrandam suam inferioritatem sub patre, per quam beneficiorum ab ipso abitu suo recipiendorum capax esset. Non opus habemus ad lectiones variantes confugere, quae ex interpretum quorundam inscitia originem fortassis traxerunt. Nam pronomen personale μȣ, quod multi codices omittunt pertinet ad sensum CHRISTI plenius inspiciendum et omissum quoque subintelligi debet, quare probatissimi etiam codices illud adiiciunt. Patres antiqui ORIGENES, ATHANASIVS et CYRILLVS locum hunc citantes adiiciunt ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με et EPIPHANIVS HAERES. LXIX. v. 57. sub-

Erroris III. ex verbis: pater maior est me indicatio et legitima lectio.

substituit ὁ ἀποστείλας με. Quod autem memoriae eorum non satis fidae magis, quam diuersae lectioni tribuendum, saltim vero pro mero glossemate habendum videtur.

§. XXXXII.

Vindicatio sensus.

Quemadmodum CHRISTVS non de relatione sua interna et essentiali ad patrem, sed de externa et oeconomica ad Deum trinunum et patrem hoc loco loquitur, §. XXXVIII. et XXXX. ita quoque maioritas, quam patri tribuit, non de eius superioritate interna sed externa intelligi potest. Denotat igitur vox PATER et Deum trinunum et inprimis personam primam, quae CHRISTO officium mediatorium tradidit §. XL. Et pronomen με exprimit eum, quatenus in relatione officii ad illum constituebatur: qui significatus probatus est §. XVI. Speciatim vero talem se CHRISTVS hoc pronomine respicit, qualis tunc temporis ante abitum ad patrem seu exaltationem existebat, nempe in extrema exinanitione ad officii consummationem versantem. In quo statu CHRISTVS non solum patre sed ipsis quoque angelis ad tempus inferior dicitur HEBR. II, 9. Eodem igitur respectu, quo CHRISTVS angelis inferior factus est, eodem etiam patre fuit inferior. Essentialem autem CHRISTI sub angelis inferioritatem ipse negat aduersarius, hinc nec essentialem CHRISTI sub patre inferioritatem ex his verbis colligere potest. Nec CHRISTVS nec nos negamus, patrem ipso fuisse superiorem, fuit enim omnino per §. V, non vero essentialiter sed relatiue §. III. sine detrimento internae eius cum patre aequalitatis §. V.

§. XXXXIII.

Vindicatio nexus.

Nexus quem sibi CHVBBIVS horum verborum cum praecedentibus fingit, non minus falsus est, quam ipsa eorum interpretatio. Putat enim CHRISTVM in eis rationem indicasse, ex qua certi fierent discipuli de felicitate sua per abitum ad patrem promouenda. Patrem enim ipso maiorem,

rem, perfectisſima pollere poteſtate, maiorem perfectionis gradum ipſi impertiendi. Certum quidem eſt, CHRISTVM haec verba addere vt rationem, quod indicat particula aetiologica *nam*: ſed nexus, quem CHVBBIVS ſibi fingit, nititur errore ſuo a nobis iam refutato. Omnia, quae CHRISTVS protulit, ad erigendos ſuorum animos ſpectabant, de abitu ipſius triſtes, quum vero ſolatium non niſi ex repraeſentatione bonorum ad nos pertinentium oriatur; haec verba ex ſcopo CHRISTI magis ad diſcipulorum commoda abitu promouenda, quam ad felicitatem CHRISTI in ſe adiecta ſunt; duplex igitur locum habet nexus *primo* verba haec ſunt ratio neceſſitatis abitus, quam ex relatione ſua oeconomica ad Deum trinunum et patrem deriuat, ita, vt indicare velit: decet me ad patrem reuerti, nam ille maior me eſt, dum 1) me miſit 2) iudex meus eſt, cuius iudicio ſubiectus ſum, et qui me iuſtum et abſolutum declarare debet 3) Deus ſcopus eſt, propter quem totum officium ſuſcepi ac geſſi; *deinde* vero ratio quoque ſunt gaudii diſcipulorum ob CHRISTI abitum; tum CHRISTI cauſa, qui vt mediator a patre iudice gloria et honore coronandus erat, illaeſa tamen interna eius diuinitate §. XL, tum quoque ſui cauſa, propterea quod CHRISTVS ad eum patrem ibat, qui iudex eius conſtitutus redemtionem ab eo factam ratam habere ac confirmare debebat; vnde quoque ſpes ipſis enaſcebatur, fore vt gloriae CHRISTI mediatoriae vna cum ipſo participes fierent. Omnis hic nexus ſcopo CHRISTI conſentaneus, irritus euadit, ſi ſuperioritatem eſſentialem patris a CHRISTO aſſertam hic eſſe credimus; neque enim haec verba diſcipulis ſolatio, nec abitus CHRISTI et ſibi et diſcipulis glorioſus ſatis fuiſſet, ſuppoſita hac opinione; vnde denuo apparet, quanta vis ab aduerſario et ſenſui et connexioni verborum inferatur, vt ſuos inde deducere queat errores.

§. XXXXIV.

Appendix. Alii respondendi modi minus sufficientes.

Apparet igitur non indigere nos effugio, quod CHVBBIVS satis quidem infeliciter eripere nobis laborauit; non posse, dicit, hic intelligi humanam CHRISTI naturam, propterea quod vnita cum diuina beneficia accipiat, non a patre sed a filio. Rationem hanc refutauimus §. XL nihilominus vero naturam humanam abstractiue et exclusiue hoc loco intelligere rationes intrinsecae, et nexus et sensus prohibent. Datur autem tertium, quod demonstrauimus: Neque opus hic est solutione PHOTII satis quidem acuta sed a CHRISTI simplicitate et veritate nimis remota. (a) Putat enim CHRISTVM haec verba *pater maior me est* per συγκατάβασιν aut accommodationem ad captum et opinionem discipulorum dixisse. Sufficit ex rationibus intrinsecis secundum regulas hermeneuticas demonstrasse, quo sensu CHRISTVS haec verba intellexerit, et quam pessime CHVBBIVS ea ad errores suos detorserit.

§. XXXXV.

(*) PHOTIVS in ep. 176. sententiam suam ita profert: *Opinari quis poterit, nec improbabiliter, dictum fuisse de mente discipulorum: erant etenim adhuc illi imperfecti, nec de magistro suo, vt de Deo cogitabant; praecipue quum Mosaica lex multo explicatius patrem quam filium ipsum insinuet, et ipsemet seruator patrem apud eos multifariam praedicaret. Quocirca apud ipsos quum haec opinio obtineret, a qua profecti dicebant: ostende nobis patrem et sufficit nobis; hanc illorum opinionem respiciens sistit se, nec progreditur, sed tantum non dixit: parum consentanea vobis ipsis agitis, et vestrae opinioni, dum tristitiae vos traditis, eo quod dixerim, vado ad patrem, si me diligeritis et si re vera maiorem me patrem arbitramini, gaudere potius deberetis, quia vado ad patrem meum, me maiorem; hunc si ego vobis ostendere tantum velim, omnino suffecturum vobis ad omnia diceretis. Nihil porro impedit, hanc vocem per condescentiam adhiberi, et ad humilitatem conformitatem propter auditorum infirmitatem &c.*

§. XXXXV.

Sic tandem partibus nostris satis fecisse et scopum assequuti nobis videmur. Facile concedimus causam a nobis peroratam a multis solidius, vberius et grauius fuisse actam, quam nobis quidem ob virium tenuitatem, argumenti grauitatem, et temporis angustiam licuerit. Neque nos ii sumus, qui insignem ex labore hoc qualicunque in conuincendis et debellandis aduersariis fructum sibi promitterent. Sufficit nobis iussui fautorum, ad quos properamus, et consilio summe Venerandi Praesidis satisfacere voluisse. Vehementer interea gratulamur nobis occasionem quam nacti fuimus, et diuinum honorem dulcissimi Seruatoris nostri, cui nos totos sacros esse volumus, vindicandi, et maiorem certitudinis gradum in re tam capitali impetrandi. Faxit Seruator noster optimus, vt quidquid molimur laborum, id omne cedat ad diuinam nominis sui celebrationem et gloriosam regni sui mediatorii dilatationem, sic non in cassum laborasse nos docebit Conclusio.

F I N I S.

ERRATA,

Quae ob auctoris absentiam irrepserunt, L. B. ita emendare velit.

Pag. 7. lin. 2. pro (a) p. * p. 8. not. a. lin. 11. pro (?) pone (.) ib not. b. lin. 2. pro Deum l. diem. ibid. lin. 5. pro filium l. filius. p. 9. lin. 10. pro ad vitam l. adscriptum. p. 13. not. b. lin. 2. pro Patribus l. matribus. ibid. lin. 5. pro indicatam l. indicatum. p. 17. lin. 20. pro constitum l. constitutum. ib. not. a. lin. 2. pro θεός l. υἱός lin. 3. dele *vt*. p. 24. lin. 25. pro struerent l. struant. p. 27. lin. 20. pro possint l. possent. p. 28. lin. 2. pro raptarum l. raptorum. ibid. lin. 12. pro quas l. quos. ibid. lin. 26. pro quid l. quod.

AESTVMATISSIMO RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIG.

P R A E S E S.

Quae ad TE ſcribam abſentem domumque profectum, ipſe abituriens et iter Berolinum parans, habeo ſane plurima, breuibus tamen expedienda. Primum vehementer probo et conſilium, quod cepiſti, conſcribendae diſputationis, et operam in peragenda re poſitam. In illo maiores quidem aliorum partes fuerunt, quorum apud TE merito plurimum valet auctoritas, quam TVAE, quae ad obſequii gloriam paene redeunt omnes. Sed facit haec ratio, vt maioris a me fiat labor TVVS. Sicut enim laudabilem proficuamque, ſi quae alia, diſputationum academicarum conſuetudinem a bene multis negligentius haberi aegre fero, magnique referre ad litterarum incrementa exiſtimo, vt erectiora ingenia ex puluere academico non dimittantur ſine tirocinio publico periculoque profectuum et virium facto: ita illos inprimis aeſtimo, qui rationes ſuas ſic ſubducunt, vt a gloriolae aucupandae vanitate

abhor-

abhorreant. Hanc vero operam TVAM *in tractando argumento grauissimo collocatam quanti faciam, ipsa emendatione satis, opinor, significaui. Inuenies enim redux factus elaborationem, quanta est, integram* TVAM *typis exscriptam, non quidem sine lituris, paucissimis tamen ad contrahendum scriptum comparatis; sine accessionibus certe meis* TVARVM*que meditationum immutationibus, a quibus ita mihi temperaui studio, vt nonnulla praeterierim in quibus non eadem prorsus* TE*cum sentio, quod neque erronea sunt, neque puriori doctrinae repugnant, neque cum meis sententiis coire nequeunt. Reliquis enim interpretationibus praefero in primo oraculo a* TE *vindicato illorum sententiam, qui vocem filii pro filio non hominis sed* DEI *et patris quidem solius positam esse existimant, eamque ratione ignorationis commemoratae habita ad humanam illius naturam referunt in exinanitione positam, cui ob vnionem personalem haec denominatio aeque ac diuinae competit, atque adeo illam ignorationem non pro simulata aut effectiua, sed vera et formali habent, voluntaria tamen antecedenter et per officii mediatorii rationes determinata. Atque hac ipsa restrictione haec sententia cum illorum opinione, quam* TVAM *fecisti, conciliari potest, quum* CHRISTVS *in obeundis partibus mediatoris et prophetae theologia atque scientia, quam vnionis vocant theologi, vsus sit, quae humanae naturae proprie inhaesit, finibusque mediatoriis ita attemperata fuit, vt verae ignorationi locum reliquerit, sine qua ipsum fidei, luctantis inprimis,* exercitium *locum habere non potuisset. Verum de his, si redierimus vterque ad disputationem defendendam, coram plura. Destinaueram praeterea his litteris indicem librorum a neoarrianorum*

ante-

antesignanis conscriptorum, quorum Anglia inprimis, ingeniorum sentiendi libertate gnauiter abusorum ferácissima, insignem prouentum tulit, ne in vindicanda diuinitate IESV domini, grauissimaque de trinitate doctrina, vel ignorentur et praetereantur penitus, vel cum Socinianis, vt perperam fieri solet, confundantur, a quibus toto systemate dissident. Sed quod prouideo, si vel scriptorum a nefariae sectae triumuiris WILH. WHISTONO, THOMA EMLYNO *et* THOM. CHVBBIO *editorum, quotquot possideo, censum agere, iisque libros a* SAM. CLARKIO *ad eundem errorem subtilius tamen et speciosius defendendum conscriptos adiungere vellem, aliquot paginis opus fore, eo labore nunc supersedere malo, quam prolixiori epistola dissertationem aequare. Quare, quod reliquum est, bonis verbis officioque paucis defungar. Ingenium excitatum litterisque perpolitum, bonam mentem aduersus DEVM optime animatam, felicem stadii academici decursum, progressus in omni doctrinarum theologo profuturarum genere factos, ipsamque bonorum de TE spem ex animo TIBI gratulor, Deumque O. M. supplex veneror, vt his donis suis et perpetuitatem et maiora in dies atque maiora accessionum incrementa adiiciat, vberrimosque et salutares laborum fructus tam capi a TE in rem TVAM, quam ciuitati sacrae ferri iubeat. Ita vale. DEO, patriae, bonis litteris, TVIS, TIBI, mihique diu viue feliciter. d. V. Apr.*

CIƆ IƆCC XXXXI.

NOBI-

NOBILISSIMO PFEILIO

χάριν καὶ εἰρήνην

D.

D. BENED. GOTTLOB CLAVSWITZ
ORD. THEOL. H. T. DECANVS.

Abitum igitur ex Academia noſtra ad Tubingenſes Muſas adornas, LECTISSIME PFEILI, neque tamen, niſi prius ſpecimine diligentiae et doctrinae tuæ egregio publice edito, a nobis diſcedis. Ex quo quidem tempore mihi innotuiſti, TVASque dotes, et ingenii vires, et in veritate inquirenda contentionem, in collegio inprimis diſputatorio demonſtratam, et coniunctam his modeſtiam, et mores compoſitos perſpexi, amare TE coepi. Placuit vero inprimis in TE, quod non ad ſolam ſcientiam, quae ſine pietate et virtute animos inflat, TE quidem, quae cognoſcis, referre, ſed de præparando diuina gratia animo et praxi vitae cognitioni iungenda ſerio TE cogitare, arbitratus ſum. Gratulor

Tibi dotes animi, gratulor industriam, gratulor linguarum ornamenta, gratulor bonam mentem, quae cognitionem solidam veritatis ad veram, quae est in CHRISTO IESV, pietatem transferre satagit: tum vero et doctrinae theologicae specimen non vulgare disputatione publica nunc exhibitum TIBI gratulor. Occupauit merito industriam TVAM argumentum praestantissimum, cuius penitior inquisitio tanto magis laudem meretur, quo propius ad ipsum salutis fundamentum, quod CHRISTVS est, spectat, et quo plures omni tempore surrexerunt, qui haec labefactare fidei fundamenta, immo conuellere infausto conatu tentauerunt. Perge, qua coepisti via, DEO duce studiorum Tuorum cursum emetiri, et cognitione imprimis IESV CHRISTI practica totum TE sacris muneribus praepara; spes est certissima, fore, vt hac ratione ciuitati DEI et doctrina et vitae exemplo inseruire possis feliciter. Scrib. Halae propter Salam d. VI. April. cIↃ IↃ cc xxxxI.

OPPONENS

OPPONENS A. G. E. HEMPEL

S. P. D.

I. G. PFEILIO

RESPONDENTI PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE.

MAxima me omnino voluptate adfici oportebat, quum consilium mihi illud TVVM de specimine quodam publice edendo haut ita pridem declarares, inprimis vero cum grauissimum argumentum quod disputare animum induxeris, exponeres. Scire autem TE plane volo, me non leuiter commotum fuisse, quum TE THOMAM CHVBBIVM *illum exquisitissimis perniciosissimisque armis pugnantem, nec paucos tacito terrore confundentem, aggredi ausum fuisse, animaduerterem. Verum si omnibus tam feliciter cesserit in discutiendis speciosioribus dubiis quod TIBI cessisse omnium plausu gratulor: liceat, quibus videtur, lacessere pertinacissimos adversarios, in lucem protrahere squalore fere obsitas, saepius quamuis recoctas disputationes veterum subtilissimas; immo taceant meticulosi illi veritatis alias studiosissimi cultores, qui in rebus ardui momenti, ne animum in adepta incredibili studio requie turbent, fugere semper dubia, praecipue noua, iisdemque terga vertere consueuerunt, aliisque idem mirifice suadent. Nimium*

viri-

viribus suis diffidunt ii, quorum interest vim veritatis christianae explorare, et hanc ipsam temerario consilio laedunt, si vix vt fugientes dimicant, et numquam vbi pedem figant, rite circumspiciunt. Quale damnum, si alii et TIBI forte ipsi inuito in animum inciderit, destitui veritatem, eo quo opus est ad plenam conuictionem fundamento: si aduersarii, antequam nacti victoriam fuerint, triumphent, animosque in errore suo confirment? Ita potius aestimanda esse dubia vaferrimorum aduersariorum existimauerim, vt singularem eorum industriae gratiam habeamus, licet ipsis male hac ipsa re consulatur, quod devia tanto opere quaesiuerint, calcauerint, in iisque vlterius processerint, vt adeo ipsi vel nolentes rectam regiamque viam eo clarius certiusque aliis, qui rectius vident, commonstrent. Si noua magno apparatu in lucem proferuntur dubia, gaudeant veritatis amantes, ipsam iterum stabiliri aliquo modo veritatem, immo sibi impense gratulentur, tam alte eam locatam esse, vt numquam lucifuga existere debeat et neque inuidia neque ignorantia neque malitia, matres errorum foecundissimae, ad damnum ei inferendum, pertingere possint. Immo quo exquisitiora fortioraque dubia excogitantur, eo laetior exinde spes adfulget, fore vt vera rei ratio clariori luci reddatur. Illud autem intelligo quod ad felicitatem nostram propter quam effecti a Deo sumus, summe est necessarium, in quo longe stultius esset nos errare debere, quam si sensus omnium animalium in iis rebus propter quas percipiendas iidem concessi ipsis sunt, fallere posse existimaremus. Quodsi enim rite vires quae vnicuique resident, adhibeantur in veri falsique cognitione, non sine eximio delectamento animaduertimus, in rebus ad nostram incolumitatem maxime necessariis dubia plerumque, si personam iis speciemque detraxeris, esse absurdissima, viamque ad verum penetrandi simplicissimam. Quae vero longinquiora sunt, et non nisi admodum remote ad nostram faciunt veram salutem, aciem ea iudiciumque oculorum nostrorum eo facilius effugiunt, et paucissimis datum est ex omnibus se expedire

erro-

erroribus, iterque ad ea pertingendi valde est salebrosum atque tortuosum. Quam vero expediat rerum ad salutem nostram obtinendam propius facientium certo cognita ratio, quamque innumeri fere dentur conuictionis gradus ii nouerint, qui nutrimentum illud animorum esse sciunt, quantumque obligationem augeat, quantumque exercitium pietatis minus fucatae officiorumque difficillimorum facilius reddat. Ignosce AESTVMATISSIME amice, quod rationes cur operam TVAM etiam atque etiam probem in disquisitione opinionum CHVBBII *collocatam, vltra quam limites epistolae permittunt, exposuerim: quum primo animi obtutu idem mihi et forte adhuc aliis agere videreris, quod ii, qui lolium infelix in exteris terris natum, atque ex iisdem proiectum, suscipere atque bonis terris inferre satagunt. Argumentum fateor grauissimum selegisti, sed tali, vt opinor, opus erat, ad exercendas vires TVAS. Non vulgari quousque TE noui amicum, amoris adfectu TE, sed maiori adhuc voluptate amplexus sum, quum socium TE commilitonemque semper non sine insigni fructu litteras omnis generis tractantem, intuerer. Dolore eo maiori adficior, quo arctiori continebamur amicitiae vinculo: eo grauior mihi discessus TVVS videtur, quo coniunctius per tempus non exiguum vna viximus. Sed amore litterarum captus exteras Musas salutas. Gratulor exoptatissimam occasionem, atque vt eadem doctrina ornatus qua antiquiores ex peregrinationibus suis quondam reuertebantur, redeas; atque inprimis ad intimiorem cum Optimo Seruatore amicitiam, quam dum TE noui, maximam semper fecisti, admittaris, ex pio amoris fiduciae teneritatisque adfectu precor atque contendo. Id si a TE impetrauero, vt quemadmodum fecisti me inposterum ames, enitar profecto atque quantum potero efficiam, vt meus in TE animus, desideriumque TVI, magis magisque TIBI constet. Vale, et res TVAS sic age, vt numquam industriae TVAE materia, occasio, patronus desit. Dabam in Paedag. reg. d.* XXVI. *Apr.*

cIↃ IↃCC XXXXI.

Gewis ein edles W
Die Wahrheit
Sie von der S
Und ihr den hohen Wert
Du trittst **Geehrter Fre**
Und zeigest Deinen Muth
Der Spötter, die auf ni
Wie Sie die Majestät de
Du zeigst wie **Chubben**
Nichts als ein schlecht G
Das auch wohl unvermen
Darinnen aber doch sehr
Du liebst Gelehrsamkeit;
Die Deinem seltnen Ruh
Ja, was noch mehr, ma
Was bisher Dein Bem

Ein Zeuge des, so sehr g
Und ihm das edle Pfand
GOtt segne Dein Bemüh
Daß wir von Deinem Fle
Doch eins ist **Theurer F**
Dis, daß Dich GOttes H
Dich meinen **liebsten Fr**
Aufrichtig, redlich, treu
Führt nun der Fügung H
Und trennt den äussern na
Dis muß ja freulich mich
Doch soll Dir meine Bru
Wir werden zwar getrenn
Ich bleibe bis im Tode,

n edles Werck, ein herliches Bemühn,
Wahrheit aus der Nacht ans Licht hervorzuziehn,
on der Sclaverey des Irthums zu befreien
en Werth der Wissenschaft zu weyhen.
rter Freund, ietzt auf dem Kampfplatz dar,
nen Muth der wilden, frechen Schaar
die auf nichts als spitz'ge Gründe dencket,
ajestät des Sohnes GOttes kräncket.
Chubbens Grund, und gantzes Lehrgebäu
schlecht Geweb' aus falschen Schlüssen sey.
unvermerckt, den klügsten Kopf betrüget
doch sehr wenig Stärcke lieget.
rsamkeit; davon zeigt diese Schrift,
nen Ruhm ein ewig Denckmal stift.
nehr, man kann aus diesen Blättern lesen,
ein Bemühn, Dein Ziel Dein Zweck gewesen.
so sehr geschmähten JEsu seyn
le Pfand der Kräffte gantz zu weyhn.
n Bemühn und laß Dirs glücklich gehen
einem Fleiß bald reifre Früchte sehen.
heurer Freund, was mich empfindlich rührt,
GOttes Hand von meiner Seiten führt,
bsten Freund, den ich seit mehrern Jahren
ch, treu und wohlgesinnt erfahren,
ügung Hand in ein entferntes Land
ussern nach, das süsse Freundschafts-Band.
lich mich ietzt in Betrübniß setzen
eine Brust ein ewig Denckmal ätzen.
r getrennt, doch bleiben wir vereint
n Todt, Dein Dir

ergebner Freund

Justus Joseph Pappe.

)o(